



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

Stephani Balvzii Tvtelensis Notae Ad Antonivm Avgvstinvm Et Gratianvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10634

STEPHANI BALVZII
TVTELENSIS
NOTÆ
AD
ANTONIUM AVGVSTINVM
ET GRATIANVM.

LIBRARIUS
TITULUS
MOT
AD
RESTITUTIO
MOT



STE

AN
I



& Conti
ad margi
fa Barth
tiqua : B
autem ar
ris, scri
Gracian
torum co
hac info
celeberr
in novan
Tracij pr
Innocent
num 120
pavulum



STEPHANI BALVZII
TUTELENSIS
NOTÆ

AD DIALOGOS

ANTONII AVGVSTINI
De emendatione Gratiani.



RATIANI DECRETUM] Rectè Pag. 3i
admonet Antonius Augustinus hunc li-
brum falsò vocari Decretum Gratiani,
cùm sit potiùs collectio decretorum, ut
scriptum est in editionibus Democharis

& Contij. Nam & in codice Sangermanensi, in quo
ad marginem textus posita est à manu recentiore glos-
sa Bartholomæi Brixienfis, hæc scripta sunt manu an-
tiqua: *Explicit Apparatus Decretorum.* In Victorino
autem antiquo, in pagina quæ antecedit initium ope-
ris, scriptum est manu antiqua: *Liber dictus Decreta
Graciani.* Quin & in antiqua editione Veneta *Decre-
torum codex* vocatur. Et in ipsa editionis illius fronte
hæc inscriptio præposita est præfationi editoris. *Ad
celeberrimos Iurisconsultos suosque municipes Brixianos
in novam Decretorum impressionem Petri Albignani
Trecij præfatio feliciter.* Decretorum corpus vocavit
Innocentius III. apud Odoricum Raynaldum ad an-
num 1202. §. 12. *quod est ultimum septima causa ca-
pitulum in corpore decretorum.* Item Vincentius Hif-
Dd iiij

panus vetus Decretalium interpres, ex quo hunc locum descripsit Antonius Augustinus in ipso ferme principio Notarum ad primam antiquam collectionem Decretalium. *Quia non omnia, inquit Vincentius, poterant comprehendi in Decretorum corpore, ideo magister B. Papiensis Præpositus hoc opus compilavit.* Rēpexisse autem videtur Vincentius ad verba Tancredi relata ab illustrissimo Episcopo Monspelienſi Francisco Boſqueto in Notis ad epistolam Innocentij III. pag. 48. Hæc sunt verba Tancredi: *Post compilationem Decretorum factam à Gratiano, multa à Romana Curia decretales epistolæ emanaverunt, quas magister Bernardus tunc Præpositus postmodum Episcopus Papiensis ad studentium utilitatem sub competentibus titulis compilavit.* Denique vir celeberrimus Iacobus Cujacius ad cap. penult. & ult. de sentent. & re jud. ita omnino loquitur de Gratiano: *Collectio autem Decretorum facta à Gratiano fuit prima quæ præcessit sex collectiones Decretalium.* Hunc secutus est Franciscus Florens, cujus hæc sunt verba ex præfatione tractatum in novem priores titulos libri primi Decretalium pag. 3. *Secundò de collectione Decretorum Gratiani tractabimus.* Quin & Hieronymus Rubeus lib. 5. historiæ Ravennatis pag. 246. loquens de epistola Stephani V. ad Romanum Archiepiscopum Ravennatem, quæ extat apud Gratianum, ita ait: *Id testatum littera faciunt quæ in Decretorum libris adhuc leguntur.* At si auctoritatem à veteribus libris & ab antiquitate editionum petere lubet, *Decretum Gratiani* simpliciter scriptum est in pagina quæ antecedit initium operis in recentiori codice Victorino, & *Gratiani Decretum* in calce veteris editionis Moguntinæ. Neque aliter habent editiones Parisienses quæ in initio postremi sæculi prodierunt. Unde secutus est consensus generis humani. Eam ob causam censeo retinendam esse inscriptionem illam, non solum apud Gratianum, sed etiam apud Burchardum & Ivonem. Sanè Antonius ipse Augustinus in Notis ad primam collectionem Decretalium, cum Decretum Ivonis citat, citat autem frequenter, exprimit opus illud in numero singulari. Decretum Ivonis vocat etiam Cujacius ad tit-

rum Decretalium de vita & honestate Clericorum cap. 1. Atque hæc de titulo libri dicta sufficiant.

EXCEPTIONES] Assentior Antonio Augusto Pag. 4.
 ffino. Attamen nollem quicquam mutare apud Ivonem in hoc loco, cum vox *exceptiones* extet in omnibus antiquis Ivonis codicibus & editionibus. Quin & apud Hildebertum Cenomanensem in epistola XLVIII. *exceptiones* disertè scriptum est in omnibus vetustis exemplaribus. Ea enim erat seculi illius prisca ratio & usus ut *exceptiones* dicere mallent quàm *excerptiones*. Possent hujus rei plurima adferri exempla, si restanti esset. Sufficiet tamen, ut arbitror, auctoritas codicum Ivonis & Hildeberti. Addam nihilo minus etiam istud ex veteri codice MS. bibliothecæ regie: *Incipit prologus Petri viri disertissimi in exceptionibus legum Romanarum*. Ex quo fortassis libro aut alio simili descripsit Ivo quæ sic ab eo referuntur libro quarto Pannormiæ cap. 127. tam in editis quàm in manuscriptis codicibus: *Excepta de legibus Theodosianis*.

CANONICOS REGUL.] Festivè & eleganter, Pag. 74
 ut solet, hanc tautologiam traducit D. Erasmus in colloquio de peregrinatione religionis ergò. *Collegimus est Canonicorum, inquit, sed quibus à Latinis regula cognomen additur, medium genus inter monachos & Canonicos quos seculares appellant. In odiosis Canonici sunt, in favorabilibus monachi. Si Romanus Pontifex fulmine feriat omnes monachos, tum Canonici fuerint, non monachi. Sin idem permittat omnibus monachis uxorem ducere, tum fuerint monachi.* Respiciebat videlicet Erasmus ad perditissimos mores sui seculi: qui si nostro revivisceret, viderétque hodiernas Canonicorum regularium congregationes, abstinere profectò ab eorum insectatione. Rectè Cujacius ad titulum Decretalium de præbendis & dignitatibus: *Et quamvis hac duo, Canonici & regulares, idem significent, & hoc tantùm interfit quòd una Græca, altera Latina appellatio sit, tamen, quia ita loquendi mos est, ita loquimur vel discretionis gratia, ut scilicet discernantur à secularibus.*

DUOR. ANTONIOR.] Democharis & Con- Pag. 116

ej, qui primi medicas manus admoverunt Gratiano, Post hos secutus est tertius Antonius Augustinus.

LIBER CÆSARAUG.] Quoniam auctor istorum dialogorum sæpe laudat hunc librum, visum est semel observare intelligi vetustam canonum collectionem MS. ad Antonium Augustinum missam ex monasterio Carthusianorum Cæsaraugustano, quò pervenerat post obitum Hieronymi Suritæ clarissimi scriptoris annalium Aragonensium; ut ipse Augustinus docet in dialogo quinto libri prioris. Divisa est illa in libros quindecim. Cùm verò nullius Romani Pontificis qui post Urbanum secundum vixerit decretis utatur illius auctor, rectè judicatum est illam eo tempore scriptam fuisse. Usus est autem istius collectionis auctor canonibus Conciliorum, decretis Romanorum Pontificum, & dictis sanctorum patrum. Hæc ex Antonio Augustino Iesuita, ut opinor.

Pag. 26.

COLLECT. CONC. TARR.] Nescio quid his verbis intelligat Antonius; nisi si loqui vult de collectione constitutionum provincialium Tarracoenisium, quæ Tarracone edita est. Verùm tamenetsi editionem illam non viderim, non puto locum heic fuisse emendandi alicujus veteris canonis Africani, cùm probabile sit hanc collectionem non fuisse diversam ab ea quæ anno M D X C I I I. recusa Tarracone est ex decreto secundi Concilij provincialis celebrati sub Ioanne de Teres Archiepiscopo Tarracoenisii post Antonium Augustinum. Atqui in nova illa collectione nihil extat præter nudas constitutiones absque Notis.

PALÆA] Instituti mei non est inquirere in originem hujus vocabuli. Sufficere arbitror Notam Correctorum Romanorum, quam invenies editam apud Antonium Augustinum pag. 20. Illud tantum dicam, non vidisse me hoc vocabulum in antiquis Gratiani exemplaribus manuscriptis; nisi quòd aliquando, sed id tamen rarò, diù postea scriptum est in notis marginalibus libro Sangermanensi adjectis. Idem vocabulum non reperitur etiam in prima editione Moguntina in fronte capitum quæ eo nomine prænotantur in vulgatis editionibus. Extat tamen, sed non

ideo frequenter ut in vulgatis editionibus, in antiqua editione Veneta. Istud verò non impedit quin antiquitas adscriptum fuerit in libris Gratiani, cum ejuslibet mentio extet apud Ioannem Andreæ & alios veteres Iurifconsultos.

TARRACONENSIS] Et hunc quoque librum Pag. 39.
sæpe laudat auctor istorum dialogorum. Dono ad eum pervenerat ex celebri monasterio Populeti, vulgo *Poblete*, ordinis Cisterciensis, haud procul Tarracone, ubi etiamnum extat optima bibliotheca veterum librorum manuscriptorum. Quoniam autem islibet auctoris nomine carebat, placuit illum Tarraconensem appellari ex diœcesi. Continet decreta Romanorum Pontificum usque ad Gregorij septimi tempora, non verò postea; indicium non mediocriter pro veritate conscriptum cum esse paulò ante Cæsaraugustinam, ut eodem ferè tempore hæ duæ collectiones prodierint. Hæc rursus ex Augustino Iesuita.

ZURITÆ] Hunc virum plerique Zuritam Latine vocant. Sed ipse se Suritam vocavit in Indicibus in epistola dedicatoria veterum scriptorum rerum secularium ad Antonium Augustinum. Pag. 49.

MODESTIAM REQUIRO] Dicitur adversus Albertum Pighium & alios illorum temporum assertores & vindices effusissimæ potestatis Romani Pontificis. Sic Covarruvias lib. 4. variar. resolut. cap. 13. notat eundem Pighium lib. 4. de eccles. hierarch. cap. 8. multam ex ea occasione adversus Granatum candescere in iram, *pio quidem animo*, inquit, *et ferventissimo in apostolica sedis majestatem zelo, ut prope qui omni conatu contendat Summos Pontifices qui Petrum sedem illam obtinuerunt, à labe hæresis prorsus immunes fuisse.* Itaque & Augustinus & Covarruvias damnant nimium Alberti Pighij zelum. Gaudeo verò idem eos dicere, quos veri inquirendi studium conjunxit & amicitia non vulgaris, ut ipsa Augustini verba ponamus ex dialogo quinto libri prioris pag. 49. Pag. 56.

DE LIBRO PASTORIS] Certum est hunc librum esse apocryphum, quòd extra canonem ab omnibus Ecclesiis collocetur. Antiquum tamen esse Pag. 64.

& magnæ apud veteres auctoritatis ostendit nuper eruditissimus amicus noster Ioannes Baptista Cotelarius societatis Sorbonicæ Theologus in Notis ad hunc librum. Has tu consule, lector, & mihi pro indicina gratiam habeto.

Pag. 66. PECCATOR APPELLATUR] Loquitur de Isidori collectione, qui vulgò Mercator dicitur, cum in codicibus quibusdam manuscriptis legatur *Peccator*. Vide illustrissimum Archiepiscopum Parisiensem Petrum de Marca in libro tertio de concordia sacerdotij & imperij cap. 5. §. 2.

Pag. 82. SOLIUS EST ROM. PONT.] Loquitur heic Antonius Augustinus ex usu posteriorum temporum & sui seculi. Nam antiquitus aliud obtinebat, ut cuius paulò erudito manifestum est.

Pag. 102. LOCUM VACUUM] Optima est conjectura Antonij Augustini existimantis locum vacuum relictum esse subscriptioni Romani Pontificis in actis Concilij Trullani. Videndus autem omnino Marca libro quinto de concordia cap. 18. §. 4.

Pag. 104. IMAGIN. SCRIPTURAS] id est, imaginum picturas, ut rectè paulò post loquitur Anastasius. Hinc imaginarius ordo in canone tertio Concilij Turonensis secundi: *Vt corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur.* Vide Notas ad Reginonem pag. 549.

Pag. 168. NON ARVERN.] Verissimum est quod ait Antonius Augustinus supra pag. 151. multa nos interdum falsa credere quæ vera esse posteri fortasse cognoscent. Burchardus, Ivo, & Gratianus ex Concilio apud Arverniam celebrato retulerant decretum quoddam quo cavetur ne quis viventi Episcopo superponatur aut superordinetur Episcopus. Id cum Antonius Augustinus non inveniret in vulgatis Concilij Arvernensis canonibus, sed inter canones Concilij Aurelianensis, sibi visus est justè in hoc loco reprehendisse veteres illos canonum collectores. Non viderat nimirum Arvernensem secundam Synodum, quam vir celeberrimus Iacobus Sirmondus postea bono publico vulgavit, in qua eadem circa Episcopos statuuntur quæ decreta in Aurelianensi fuerant. Ia

similem postea errorem impegit idem Sirmondus, & eadem occasione decretorum alterius synodi Arvernensis. Gratianus 1. q. 3. caput *Quæsitum*. & 16. q. 2. caput *Sanè quia*. retulerat ex Concilio Arvernensi sub Urbano secundo. Illa cum Sirmondus non inveniret inter canones editos Concilij illius Arvernensis sive Claromontani, legeret autem inter canones non editos Concilij quod anno post habitam synodum Arvernensem sequente Urbanus habuit apud Nemaufum in Gallia Narbonensi, admonuit in Antirrhetico secundo adversus Aurelium pag. 97. falsam esse inscriptionem horum capitum apud Gratianum, adeoque restituenda illa esse Concilio Nemaufensi. Quod etiam adnotasse illum manu sua in exemplari impressio Gratiani quod extat Parisiis in bibliotheca collegij Claromontani societatis Iesu testis est omni exceptione major Gabriel Cossartius in tomo decimo Conciliorum pag. 590. ubi Sirmondum verè ac libere reprehendit. Nam duo illi canones postea reperiuntur esse Concilij Claromontani in veteri codice monasterij Anianensis, unde editi olim à nobis sunt in additionibus ad librum sextum de concordia sacerdotij & imperij multò antè quàm intrarent in amplissimam Conciliorum collectionem.

ARANDI ANTE MISSAM] Refert ista An- Pag. 181
 gustinus ex Concilio Moguntino, id est, ex Concilio quod in ea urbe habitum est extremis Karoli Magni temporibus. Apud Reginonem lib. 1. cap. 378. de Concilio apud Adrisphac in Bajoaria. De quo Concilio dictum est in Notis ad Reginonem pag. 573. Non extat enim in vulgatis editionibus Conciliorum; neque ulla illius alibi, quod sciam, memoria superest quàm apud Reginonem.

PROPRIA HABUISSE] Ingens & difficilis Pag. 124.
 controversia emerfit ævo Ioannis XXII. inter eum & Franciscanos de paupertate Christi & Apostolorum, habuissentne illi aliqua in proprio vel in communi. immo parum abfuit quin bellum propterea esset. Ea igitur quæstio extorsit duas constitutiones Ioannis quarum heic mentio est. Prima incipit: *Cum nonnullis*. Alterius initium est: *Quia quorum-*

dam mentes. Habeo ego veterem librum pulcherrimè scriptum, in quo continetur magistri Petri Rogerij Doctoris Theologi Parisiensis lectura, ut ipse vocat, seu commentarius in secundam illam constitutionem, dictata publicè Lutetiæ eo tempore quo quæstio illa maximè incaluerat. In hoc libro bene multa notatu digna referuntur, & inter alia narratio de quodam Doctore Parisiensi, cujus nomen proditum non est memoriæ literarum, qui eodem quo Petrus tempore docebat Lutetiæ doctrinam quæ à Ioanne XXII. declarata erat catholica, contrariam impugnabat. Hic ergo, ut solebant tum nonnulli scholastici Theologi insanire in novas cogitationes, eò usque progressus est ut doceret opinionem Franciscanorum non solùm esse hæreticam, quod à Ioanne definitum erat, sed magis hæreticam esse quàm eam quæ asserit Christum non fuisse incarnatum. Res est adeo demens ac stolidæ ut omnis huic narrationi fides deneganda foret nisi testimonio niteretur ejusdem Petri Rogerij, cujus hæc sunt verba sub finem operis: Dico tamen hic quòd licet talis assertio sit hæretica, non tamen est magis hæretica quàm assertio qua asseritur Christum non fuisse incarnatum. Quod dico propter dictum unius Doctoris, qui pridie oppositum, ut audivi, in sua lectione asseruit, arguens sic. Illud est magis hæreticum quod est contra majorem evidentiam fidei. Hæc videtur certa; quia quanto aliquid est magis evidens secundùm fidem, tanto ipsum negare est magis absurdum & erroneum. Sed asserere quòd Christus & Apostoli nihil habuerunt in proprio vel communi est contra majorem evidentiam fidei. Illi enim qui erant tempore Christi & Apostolorum clarè videbant quòd Christus & Apostoli habebant aliqua vel in proprio vel in communi, non tamen ita clarè videbant quòd Deus esset incarnatus, quia non videbant clarè Christum esse nist purum hominem. Ergo asserere Christum & Apostolos nihil habuisse est magis hæreticum quàm asserere Deum non esse incarnatum. Refellit deinde Petrus ridiculam illam assertionem. Ceterùm Petrus ille erat tum monachus Casæ-Dei & Prior sancti Baudilij Nemausensis, postea verò factus est Romanus Pontifex, voca-

rus Clemens istius nominis sextus. Initio operis præfixa est epistola dedicatoria ad Ioannem XXII.

SI QUID IN VET. LIBRO] Notat imperitorum hominum stultitiam, qui stolidè abutuntur auctoritate veterum codicum, pravam lectionem manuscriptorum codicum præferentes bonæ lectioni librorum editorum, nullam aliam ob causam quàm ut emendasse videantur antiquas bonorum auctorum editiones. Et tamen certum est, ut ex Rigaltio jam alibi observavimus, etiam veterum codicum auctoritate falsissimas lectiones asseri. Magno usui sunt veteres libri ad emendandos auctores antiquos, nemo negat. Sed tamen multo iudicio heic opus est, multo sale, multa diligentia, & plurimo istarum rerum usu.

Pag. 199.

VINO AGR. BAPTIZARI] Certum est caput istud non esse Siricij, ut rectè observat Antonius Augustinus. Neque tamen protinus verum est id scriptum fuisse à vano aliquo semipagano. Est enim ex responsio undecimo Stephani secundi Papæ, ubi sic legitur: *Si in vino quis, propterea quòd aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla ei exinde adscribitur culpa. Infantes sic permanent in ipso baptismo. Nam si aqua adfuit presens, ille Presbyter excommunicetur & pœnitentia submittantur, quia contra canonum sententiam agere presumpsit.* In antiqua collectione canonum Andegavensi capitulum illud ita scriptum est: *IN EPISTOLA SANCTI SIRICI PAPÆ, HERA XIII. Presbyter qui in vino baptizat proxima necessitate, ut ager non periclitetur, pro tali re nulla ei culpa ascribatur. Si verò aqua aderat, & necessitas talis non urgebat, hic commanione privetur & pœnitentia submittatur. Infans verò ille, si in sancta Trinitate baptizatus est, in eo baptismo permaneat.*

Pag. 200.

LATENTIA PECCATA] Vide decreta Innocentij 1. cap. 24. quæ citantur à Rhabano in epistola ad Heribaldum Episcopum Autissiodorensem cap. 21 à Reginone lib. 2. cap. 139. & à Burchardo lib. 9. cap. 77.

Pag. 205.

DE IOANNE VII. FEM.] Notissima est fabula, quam pueri & mulierculæ norunt, extitisse

Pag. 215.

olim feminam quæ per biennium sacrosanctam sedem apostolicam occupaverit, detecta porro fuerit ob subitum puerperium. Sed nunc illa adeo putida visa est ut etiam ab adversariis nostris repudietur tanquam vanissima & opprobrium historiæ. Anno MDCXLIX. David Blondellus eam confixit speciali dissertatione, in quam acriter invecus est Samuel Maresius adversus quem cum Stephanus Curcellæus anno MDCLVII. præfationem apologeticam edidisset, quæ edita est in secunda editione libelli Blondellici, Maresius impatienter ferens, se adversus illum ultus est, rursus incumbens refutationi dissertationis Blondellicæ. Pronuntiavit autem in initio Blondellus neminem ante Æneæ Sylvij tempora repertum fuisse cui falsi suspicio suboleret. Attamen ex vita Urbani V. ab auctore coætaneo scripta, quam vir illustrissimus Franciscus Bosquetus Episcopus Montpelienensis emisit in publicum, colligi posse videtur jam tum in suspicionem falsi venisse narrationem illam. Hæc sunt verba auctoris: *Abinde verò ad palatium remeavit pacificè & quietè, per urbem equitando, rectamque viam tenendo; nec obliquavit hinc inde, etiam occasione illius fatua mulieris qua aliquandiu papatum dicitur occupasse, & in eadem viâ abortum faciendo peperisse refertur.*

Pag. 231.

M. MENDIS PURGASSE] Præstitit illud Covarruvias in libro 4. variar. resolut. cap. 14. & seqq. ubi multa doctè & eruditè pro suo more scribit digna quæ legantur ab hominibus rei canonicæ & ecclesiasticæ studiosis.

Pag. 233.

PRO NICÆNIS HABITI] Loquitur de canonibus synodi Sardicensis, quos manifestum est citatos fuisse à veteribus collectoribus sub nomine Nicænorum. Nolo heic enarrare totam eam historiam. Illud tantum monco, plerosque canones Sardicenses, ac præsertim eos qui tractant de judicandis Episcopis, ex Concilio Nicæno referri in antiqua collectione canonum Andegavensi itémque in alia antiqua collectione quæ extat in monasterio sancti Germani de pratis apud Lutetiam.

IS LIBER NON EXTAT] Loquitur de libro

bro diurno, in quo vetus Romanorum Pontificum professio descripta est. Hunc librum non extare putabat Antonius Augustinus. Et tamen varia ejus exemplaria etiamnum supersunt, unum Romæ in bibliotheca Vaticana, alterum Lutetiæ in bibliotheca Collegij Claromontani Societatis Iesu, ex quo nonnulli viri clarissimi descripserunt in suos. Immo vir clarissimus Ioannes Launoïus aliud exemplar viderat, ut ipse testatur in dissertatione de Lazari & Magdalenæ in Provinciam appulsu cap. 10. observat. 10. *Laudatum porrò Romana Ecclesia diurnum*, inquit, *qui videre voluerit, apud eos videbit ad quos integra pervenit Caroli Montchalli Tolosatis Archiepiscopi bibliotheca* Vaticanum ediderat vir de antiquitate ecclesiastica optimè meritus Lucas Holstenius anno MDCIX. prioraque & postrema editio- nis folia miserat ad illustrissimum virum Petrum de Marca Archiepiscopum ea tempestate Tolosanum; & cujus manibus illa reciperavit Cœlius Piccolomineus Nuntius tum apostolicæ sedis in Gallia, nunc verò eminentissimus Cardinalis. Suppressa autem statim est editio illa Diurni, nescio quam ob causam. Fortassis quia in initio nimium multa circa electionem Romani Pontificis tribuuntur Imperatori & Exarchæ apud Ravennam commoranti.

MOLINÆI ESSË] Reprehendit in hoc loco Franciscus Florens Antonium Augustinum, quòd scripserit verba paulò antè relata sibi videri Molinæi esse, non Contij. *Sunt enim*, inquit Florens in pagina octava ejusdem præfationis, *re vera Contij, & si Contius ea sibi asserit, si loca omnia qua citavimus supra ex editione Antuerpiana diligenter comparantur.* Qua verò conjectura ductus Antonius Augustinus putaverit hoc scholium non esse Contij, sed Molinæi, sanè non video. Tota enim Latinitas scholij valde diversa est à stilo Molinæi, neque in editione Gratiani à Contio procurata operæ præstitæ à Molinæo ulla mentio est.

INDEX SELECT.] Hunc indicem nos huc translatus, cum antea editus esset in fine additionum illius dialogi. Mutationis auctor nobis fuit Anto-

434 STEPHANI BALVZII
nius Augustinus, qui in fine dialogi ait pag. 236.
Ecce tibi, minus tamen perfectum, indicem. Vnde nos
collegimus sequi eum debuisse statim post dialogum,
non verò post additiones.

Pag. 238. EUSTACHIUS] Nos addidimus hanc vocem,
cùm lacuna heic esset in superioribus editionibus.
Neque puto quemquam ægrè laturum hanc auda-
ciam.

PAMPHILUS] Et hanc quoque vocem nos ad-
didimus, quæ deerat in aliis editionibus.

ARNALD. PONTACUS] postea Episcopus
Vasatensis, vir doctissimus; de quo Franciscus Flo-
rens in præfatione tractatum de qua suprâ diximus,
agens de selectis viris emendationi Gratiani præfe-
ctis, ita loquitur pag. 8. *Doleo tamen, & moneo, non
abs re, unicum Gallum Arnaldum Pontacum, & ser-
vè adhibitum. Reliqui omnes fuerunt aut Itali aut Hispani.*
Hujus viri diligentia debemus editionem Chroni-
corum Eusebij & aliorum veterum emendatam ad
codices antiquos.

FR. PEGNA] Diù molestum me habuere quæ
heic dicuntur de Francisco Pegna. Videbam virum
fuisse doctissimum & laudatum, non solum ab homi-
nibus qui eodem cum illo tempore vixerunt, sed etiam
ab illis qui secuti postea sunt. Et tamen Antonius Au-
gustinus subindicare videtur aliquid adversum fa-
mæ viri, dum ait eum templum Dianæ incendiisse vi-
sum esse cùm additiones Decretalium componeret,
ac si Franciscus, alioqui ignotus, famam sibi com-
parare voluerit hoc labore, non secus ac Herostra-
tus incendiendo templum Dianæ Ephesiæ. Per addi-
tiones autem istas intelliguntur Notæ marginales
Decretalium in editione Gregorij XIII. quas nul-
lus ferme scit esse Francisci Pegnæ, atque adeo sunt
sine nomine. Scripsit ille varia opera, commenta-
rium in Directorium Inquisitorum Nicolai Eyme-
rici, tractatum de extravagantibus, quem doctissi-
mum tractatum vocat Franciscus Florens, annota-
tiones in Lucernam Inquisitorum Bernardi Comen-
sis, ac nonnulla alia.

Pag. 250. SYNODIS NON EDITIS] Editæ illæ nuper

sunt à Luca Holstenio bibliothecæ Vaticanæ præfesto ex veteri codice MS. Francisci Cardinalis Barberini.

Pab. 267i

SEGEFREDUS] Intelligit haud dubiè Sigebertum, apud quem ad annos 816. & 823. reperiuntur quæ heic notat Antonius Augustinus. Sed nihil mutare volumus. Ceterùm quæstio quam hic movet auctor de annis Lotharij facile solui potest si recurramus ad originem imperatoriae dignitatis ejusdem Lotharij. Nam ille in consortium imperij adscitus à patre est anno DCCCXVII. III. Kalendas Augusti, uti diximus in Notis ad Agobardum pag. 109. & patet ex actis divisionis imperij factæ à Ludovico quæ apud nos extant. Itaque qui cœpit imperare anno DCCCXVII. mense Julio, trigessimum septimum imperij annum agebat anno DCCCLIII. die octava Decembris, qua celebratum fuit Concilium à Leone quarto. Idem Concilium dicitur celebratum anno quinto imperij Ludovici filij Lotharij. quod verum est. Nam Ludovicus consors imperij factus à Lothario est anno DCCCXLIX. exeunte. Probatur illud ex Præcepto ejus pro monasterio Farfensi apud Duchesnium tomo III. pag. 667. quod datum est v. Kal. Junij anno XXIII. ejusdem Ludovici, Indictione quinta, id est, anno DCCCLXXII. Ibidem pag. 690. extat aliud ejusdem Præceptum datum III. Idus Junij anno imperij ejus XVIII. Indictione XIV. id est, anno DCCCLXVI. Denique in Chartulario monasterij Casauriensis leguntur acta quædam, in quibus continetur donum Hirmingardis Augustæ, quæ data dicuntur *anno septimo imperij Ludovici Imperatoris, mense Junio, Indictione quarta*, id est, anno DCCCLVI. Hinc ergo corrigas velim Chronicon Casauriense editum in tomo quinto Spicilegij Dacheiani pag. 364. ubi annus dominicæ incarnationis DCCCLIV. componitur cum anno tertio imperij Ludovici, XXXIV. Lotharij, & Indictione prima. Hæc omnia mendosa sunt. Meliùs in conventu Ticinensi ejusdem Ludovici apud Henricum Canisium to. v. lectionis antiquæ, ubi annus DCCCLIV. dicitur esse annus sextus imperij Ludovici, nimirum incep-

rus, sed non exactus. Sed heic rursus Indictio quarta mutanda est in tertiam. Emendandum eodem modo est aliud ejusdem Ludovici Præceptum apud Duchesnium to. III. pag. 666. quod datum dicitur Kalendis Decembris anno VIII. ejusdem Ludovici, Indictione VIII. Indictio enim octava non congruit cum anno octavo Ludovici.

Pag. 273.

STEPHANI SANCTIONEM] Canon est Concilij Lateranensis à Callisto secundo celebrati, in quo refertur decretum Stephani primi adversus laicos ne ullam facultatem habeant disponendi de rebus ecclesiasticis. Idem decretum refertur etiam ab Hildeberto Cenomanensi in epistola 54. ad A. Episcopum Claromontensem scripta. Sed Alexander III. in epistola ad Archiepiscopum Upsellensem, quæ est XIX. in appendice Petri Cellensis, citare videtur ex synodo Symmachi Papæ. Tum consequenter adfert postremam clausulam istius canonis Lateranensis.

Pag. 278.

LIBRUM CALLISTI] Non puto Antonium Augustinum ista referre tanquam crederet, sed ut referret simpliciter quæ de Callisto feruntur opinione vulgi Hispanici. Constat enim narrationem illam falsam esse, Callistum verò nunquam fuisse in Hispania. Fuit tamen studiosissimus sancti Iacobi Compostellani, ut ait Baronius, & de ejus miraculis volumen confecit. Is est ipse Callisti liber ab Antonio Augustino memoratus. Illius exemplar nos vidimus in veteri codice MS. bibliothecæ sancti Victoris Parisiensis, ex quo decerpere visum est elegantem jucundissimamque præfationem istam. **INCIPIIT ARGUMENTUM BEATI CALIXTI PAPÆ de miraculis sancti Iacobi Apostoli. Summopere pretium est beati Iacobi miracula ad decus Domini nostri Iesu Christi scriptura tradere & memoria aternaliter commendare. Dum enim sanctorum exempla à peritis narrantur, auditorum corda ad patriæ cœlestis dulcedinem & amorem piè excitantur. Quod ego animadvertens, barbarus terras perambulans, quadam ex his miraculis in Galetis, quadam etiam ultra tria maria, diversa scilicet in diversis locis scripta repperi, quadam in oris barbaris quibus beatus Apostolus ea dignatus est operari, nar-**

antibus illis qui ea viderunt vel audierunt didici, quædam propriis oculis vidi, quæ diligenter ad decus Domini & Apostoli litteris commendavi. quæ quanto magis pulchriora, tanto magis cariora. Nec quis putet membra quæ audivi de eodem miracula & exempla scripsisse, sed quæ verissimis assertionibus verissimorum hominum vera approbavi fuisse. Si enim omnia miracula quæ de eodem in compluribus locis sub multorum narratione audivi scriberem, magis deficeret manus studii quamque pergamenum quàm ejus exempla. Quapropter precipimus ut codex iste inter veridicos & autenticos codices deputetur & in Ecclesiis & in refectoriis diebus festis ejusdem Apostoli aliisque, si placet, legatur. Stimulabat Callistus Anglos ad peregrinationem Compostellanam, ut ex Vvillielmo Malmesburiensi docet Baronius. Contrà Hildebertus Cenomanensis Episcopus in epistola LVIII. Comitem Andegavensem detortabatur ab eo itinere capeffendo. Et omnino digna est epistola illa quæ legatur ab hominibus sacrarum peregrinationum ardore succensis.

INNOCENTII TERTII] Optimè notat Antonius Augustinus falsum esse hoc loco Innocentium, qui crediderit canonem de quo heic agitur esse Concilij Constantinopolitani primi, cum sit ex synodo quam Photius habuit Constantinopoli. Vide lib. 5. de concordia sacerdotij & imperij cap. 21. §. 12. Pag. 289.

REGNARE DESIDERANT] Legendum, desiderant. Error fuit typographi. Pag. 321.

FORUM IUDICUM] vulgò hodie *Fuero Iuzgo*. Edicio commentariorum Alfonsi à Villadiego in eum librum cusa Madriti anno MDC. ita habet in prima pagina. *Forus antiquus Gothorum Regum Hispania, olim LIBER JUDICUM, hodie FUERO Iuzgo nuncupatus.* Iacobus Cujacius ad titulum secundum *De foro competenti* in Decretalibus probat multis exemplis forum dici in genere masculino, quo modo scriptum est ab Alfonso. Antonius tamen Augustinus heic forum posuit in neutro genere. quod esse aptius quàm *forus* idem pronuntiavit in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 5. tit. 36. cap. 10. Rectè autem ait Augustinus librum illum esse eum qui à
E c iij

Petro Pithœo editus est Parisiis anno MDLXXIX cum hoc titulo : *Codices legum Vvifigothorum libri XII.* Hunc codicem nos contulimus cum duobus antiquissimis exemplaribus manuscriptis, uno monasterij Moyssiensis, altero Ecclesiæ Albiensis. Rursum duo illius antiqua exemplaria extant in bibliotheca Thuanæ, & aliud antiquissimum in monasterio Rivipullensi.

Pag. 312.

ATQUE LOTHARII] Imposuit Antonio Augustino editio Capitularium Ioannis Tiliij, ubi in præfatione Ansegisi scriptum est libris quatuor Capitularium contineri capitula quæ domnus Karolus Imperator fecit & ea quæ domnus Ludovicus Imperator & Lotharius Cæsar filius ipsius ediderunt. Sanè fatendum est ita pariter haberi in vetustissimis Capitularium exemplaribus Rivipullensi, Camberonensi, Trecenti, & in editione Basileensi Ioannis Heroldi. Nihilominus vir clarissimus Petrus Pithœus pronuntiavit heic perperam adjectum esse nomen Lotharij, cum nihil inter hæc proprium ejus esse putaret. Hæc sunt Pithœi verba. *Sanè quòd in Ansegisi præfationibus Lotharij nomen adjectum est, datum id scias exemplarium quorundam antiquitati, quæ sub ejus ditione, ut verisimile est, primùm descripta, non hoc solum ipsius honori tribuerant.* At parte ex alia antiquissimi & optimi libri, Pithœanus, Thuanus, Colbertinus, non habent nomen Lotharij. Præterea certum est omnia quatuor istorum librorum capita sumpta esse ex constitutionibus Karoli Magni & Ludovici Pij. Vide Concilium Meldense cap. 78.

SENONEN. ARCHIEPISC.] Et istud quoque falsum est, uti jam observaverunt viri eruditissimi. Nam Ansegisus collector Capitularium diversus omnino est ab Ansegiso Senonensi Archiepiscopo.

APOST. AUCTOR. CONFIRMATA] Intelligendum istud non est de libris septem Capitularium in universum, sed tantum de tribus ultimis à Benedicto Levita collectis, ut sapienter monuit illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis in libro sexto de concordia cap. 27. §. 3. Nam collectio illa Benedicti Levitæ diversa prorsus erat à collectione Anse-

gisti, neque unum semper corpus cum ea constituebat. Testis sit Hincmarus Remensis Archiepiscopus in opusculo quod inscripsit *De Presbyteris criminosos de quibus approbatio non est*. Illic enim referens caput 14. libri quinti Capitularium, qui est primus Benedicti Levitæ, ita ait: *Quid de Presbyteris criminosos, de quibus approbatio non est, agendum sit, in libro primo capitulorum Domni Karoli Imperatoris Augusti capite trigesimo quarto scriptum est: Hoc nobis magno studio retractandum est &c.* Denique Isaac Lingonensis Episcopus collectionem suam adornavit ex solis tribus libris Capitularium à Benedicto Levita editis. Quod evincit divisos illos ut plurimum fuisse à collectione Ansegisi. Unde factum ut in antiquissimis exemplaribus Capitularium nulli alij libri reperiantur præter quatuor priores.

NON INVENIANTUR] Quia nimirum ingens capitulorum numerus ex tribus postremis libris Capitularium detractus est à Ioanne Tilio & Petro Pithoco, vel quia jam edita erant aliis in locis Capitularium, vel fortassis quia superflua & inutilia videbantur. Nos suis quæque locis, si Deus firmam valentiam nobis & otium dederit, restituemus secundum antiquas librorum illorum divisiones quarum vestigia supersunt in Capitulis Ludovici Pij & Karoli Calvi, apud Hincmarum, Isaacum, Reginonem, in Concilio Trosleiano, denique apud Fulbertum & Ivonem.

Pag. 324.

IMPER. CUM EPISC.] Verissimum est quod heic observat Antonius Augustinus, fontem Capitularium fuisse ipsa Concilia atque conventus in quibus Imperator cum Episcopis & aliis Consiliariis de rebus tam ecclesiasticis quàm profanis agebat. Vnde capitula synodalia dicebantur quæ in synodis inventa erant, ut dictum est in Notis ad Reginonem pag. 542. Sapienter autem dixit Augustinus *Concilia atque conventus*; quia tamenetsi certum sit magnam partem horum capitulorum decretam fuisse in Conciliis, negari tamen non potest quin multa etiam à Principibus nostris pro jure suo statuta fuerint extra synodorum præsentiam. Vide Marcam lib. 6. de concordia cap. 25.

E c iij

Pag. 331.

MIHI INTERPRETARI] Notanda est singularis modestia & ingenua confessio Antonij Augustini, qui non intellecta à se fatetur verba ista abbreviata ex capitulis Karoli Magni, c c c c. *solid. culp. jud.* conjicit verò scribi fortasse debuisse *comp. jud. pro compositione judicetur*. Legendum igitur est *solidis culpabilis judicetur*, ut scriptum est in capitulis quæ idem Karolus addi præcepit legi Salicæ, tum etiam in antiquo codice MS. sancti Petri Pictaviensis, & in libro Capitularium Rivipullensi. Attamen fatendum est in libro Petri Pithœi scriptum esse, c c c c. *solid. componat.* quo etiam modo habetur in codice Colbertino & in Camberonensi. At in regio & in Thuanone legitur *componatur*.

Pag. 332.

IN PANORMIA EDITA] tam in editione Basileensi quàm in Lovaniensi. Sed in codice Victorino legitur: *Capitular. lib. cap. c c x c i i i i*. Exstat capitulum istud iisdem verbis in Additione prima Capitularium cap. 16. quæ sumpta est ex conventu Aquisgranensi Abbatum Franciæ cum monachis suis acto anno d c c c x v i i. Sed in vetustissimo codice MS. bibliothecæ Iuliæ Helmæstadiensis academiæ, cujus exemplum ad me miserunt viri clarissimi Hermannus Conringius & Ioachimus Iohannes Maderus, ita legitur: *Vt sibi conpatres commatresque non faciant, & nullam quamlibet mulierem osculentur.* Centuriatores verò Magdeburgenses centuria nona cap. 6. pag. 275. sic ediderunt: *Vt sibi conpatres commatresque non faciant, & nullam unquam quamlibet mulierem osculentur.*

Pag. 336.

ROTHADI EPISCOPI] Vide quæ de hac causa dicta sunt in capite octavo, undecimo, & duodecimo præfationis nostræ ad hos Antonij Augustini dialogos.

Pag. 357.

PRÆCIPUÆ CUM Æ] Contij hæc verba sunt in margine istius capituli: *Puto legendum Præcipuæ. ut sit proprium nomen.* Doleo hanc conjecturam excidisse viro doctissimo. Vide locum integrum tomo tertio Conciliorum Galliæ pag. 329. in epistola Nicolai ad Lotharium quæ incipit *Audito revertente Misso nostro.*

NON ADMONITUS] Rectè. Nam etiam in Pag. 36R
 manuscripto Pannormiæ codice Victorino sic scripta
 est vox illa ut facilè dignosci non queat utrum *eivra-*
tus legendum sit an *eiuratus*. Attamen vetusti corre-
 ctoris diligentia effectum est ut intelligeremus le-
 gendum esse *eiuratus*, ut qui mucrone cultelli dis-
 puxerit literas *u* & *i*.


OSVVALDUS] Vir fuit optimus & sanctissimus, Pag. 372.
 valde laudatus à Vvillielmo Malmesburiensi in libro
 tertio de gestis Pontificum Anglorum & à ceteris
 scriptoribus Anglis, tum etiam à Francisco Godvvi-
 no, licèt illum is postea mordeat in causa cœlibatus
 Clericorum. At calidissimus Ioannes Balæus omnes
 reverentiæ & honestatis terminos heic excessit, huc
 etiam progressus ut Osvaldum Odonis Archiepisco-
 pi Cantuariensis filium ex monacha fuisse impudenter
 insinuaret, quia videbat eum dici nepotem Odonis,
 id est, fratris filium, ut interpretatur Godvvinus.
 Fuit autem primò Vvigorniensis Episcopus, (non
 Wintoniensis, ut malè credidit Antonius Augusti-
 nus) deinde Archiepiscopus Eboracensis. Retinuit
 tamen semper episcopatum Vvigorniensem, ne mona-
 chica professio, quam ipse illic recenter instituerat,
 evanesceret per absentiam ejus. Decessit die 27. Fe-
 bruarij anno 992. Vvigorniaque in Ecclesia à se con-
 structa sepultus est, ubi ad tumulum ejus, ut scribit
 idem Godvvinus, multa patrata perhibentur mira-
 cula, propter quæ à posteritate credula sanctorum
 numero adscriptus est. Attamen Ioannes Pitseus pu-
 tat eum pervenisse usque ad annum decimum supra
 millesimum. Scripsit nonnulla opuscula quæ à Balæo
 & Pitseo enumerantur. Nullus tamen eorum memi-
 niæ Martyrologij ab eo scripti.

FUITNE ALIQUIS] Ingenuè faretur Antonius
 Augustinus nescire se quis sit hic Gerardus vel Airar-
 tardus Archiepiscopus Turonensis. Vide infra in
 Notis ad Gratianum 2. q. 1. cap. 10. *Notum.*

EGARENSE] Habitum illud fuit sub Sisebuto Pag. 400.
 Rege Gothorum in Hispania. Egaram porrò urbem
 fuisse Hispaniæ Tarraconensis, sitam ubi nunc est
 Terracia, inter Barcinonem, Minorissam, & Au-

442 STEPHANI BALVZII &c.
sonam, ostendimus olim in dissertatione de episco-
patu Egarenſi, quæ nuper edita eſt in tomo quinto
Conciliorum pag. 1645. Illud nunc addo, graviter
heic lapſum eſſe Maurum Caſtellam Ferrerium, qui
in libro ſecundo hiftoriæ ſancti Iacobi pag. 209.
ſcribit Concilium Egarenſe celebratum fuiſſe in Gal-
lia Narbonenſi, quæ tum parebat imperio Regum
Gothorum in Hiſpania regnantium,





STEPHANI BALVZII
TVTELENSIS
NOTÆ
AD GRATIANVM.

INSCRIPTIO istius capituli hæc est in antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus: *Item Nicolaus Papa Hymaro vel Iymaro Remensi Archiepiscopo. Malè Sangermanensis: Ignatio Remensi Episcopo. Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 3. tit. 4. c. 1.*

*Di. 8. c. 5.
Mala.*

In vulgatis editionibus legitur simpliciter: *Item Gregorius Vvimundo Aversano Episcopo. Sed Correctores Romani adnotant in hoc loco in aliquot manuscriptis & apud Ivonem esse Gregorius VII. Ivo parte 4. Decreti cap. 213. Gregorius VII. Vvimundo Aversano Episcopo. Idem in Pannormia edita Basileæ lib. 2. cap. 166. Gregorius Guillimundo Aversano Episcopo. In editione Lovaniensi: Augustinus cap. 5. lib. 4. de baptismo. In veteri codice Pannormie Victorino: Gregorius VIII. Vvimundano Aversano Episcopo. In antiqua collectione canonum quæ fuit viri clarissimi Claudij Puteani, nunc verò servatur in bibliotheca regia, ita legitur: Gregorius VII. Vvimundo Aversano Episcopo. Codex sancti Germani Parisiensis: Item Gregorius VII. Guimundo Aversano Episcopo. Vetus codex Victorinus: Item Gregorius Papa VII. Guillimundo Aversano Episcopo. Antiqua editio Moguntina: Item Gregorius VII. Guillimundo Aversano Episcopo. Codex Colbertinus: Item Gregorius VII. Simundo Adversano Episcopo. Ex voce Adversano factum est postea Adversario. Alter codex Victorinus: Item Gregorius VII. Guimundo Adver-*

*Ibid. c. 5.
Si consuetudinem.*

sario Episcopo. Vnde facile corrigas errorem qui extat apud Guillelmum Durandi in præfatione libri secundi de modo generalis Concilij celebrandi: *Gregorius VII. Gilmundo etiam adversario Episcopo scribit.* Atque hoc mendum non esse typographorum erratum patet ex vetustissimo ejusdem libri exemplari scripto diù ante typographicam artem inventam.

Di. 10. c. 3.
Certum est.

In codicibus Gratiani manuscriptis & per typographos vulgatis legitur: *Item Felix Papa.* Apud Democharem: *Item Fælix Papa loquitur Principi.* Ad quem verò Principem scripta sit epistola illa, cujus Felicis, docet nos Sirmondi præfatio ad appendicem Codicis Theodosiani, ubi monet ita restituendam esse inscriptionem istius capituli: *Item Felix III. Zenoni Augusto.*

Di. 15. c. 3.
Sancta Ro.

GELASIUS IN CONCILIO] Constat decretum istud de libris canonicis & apocryphis vulgò tribui Gelasio Papæ istius nominis primo. In veteri tamen codice MS. Ecclesiæ Vrgellensis, in quo continetur sincera Isidori collectio, & in pervetusto codice monasterij Iurenensis, ut monet R. P. Petrus Franciscus Chiffletius in Notis ad Vigilium Tapsensem, idem decretum tribuitur Hormisdæ Romano Pontifici, qui non multò post Gelasium floruit. Sed & olim beneficio clarissimi viri Lucæ Dacherij vidi vetustissimum codicem collectionis Dionysianæ, in quo scriptum erat decretum hoc à Damaso Papa, diù videlicet ante Gelasij tempora, editum fuisse. Unde olim collegimus in Notis ad epistolam cxxviii. Lupi Ferrariensis, Damasum fortassis primum omnium de hujuscemodi libris publicè statuisse, deinde verò Gelasium renovasse decretum Damasi, illudque auxisse eorum auctorum nominibus qui post Damasum vixere. Quod idem de Hormisdæ quoque dici potest.

VENER. SUSCIPIENDÆ SUNT] Post hæc verba nihil ex Gelasiano isto decreto legitur in antiquis Gratiani exemplaribus regio & Sangermanensi. Quin & Nicolaus Cardinalis Cusanus in libro tertio de concordantia catholica cap. 2. admonet antiqua Decreta (id est, veteres Gratiani codices) non

habere hunc textum nisi usque ad vers. *Item decreta Romanorum Pontificum* inclusivè, nimirum usque ad ultima verba à nobis relata. Sequentia tamen, quæ in vulgatis Gratiani editionibus leguntur, extant in duobus Victorinis & in Colbertino, tum etiam in duabus antiquis editionibus Moguntina & Veneta.

HEROICIS VERSIBUS] Sic omnino habent antiqua Gratiani exemplaria Victorina & Colbertinum, tum etiam veteres editiones Moguntina & Veneta. Et tamen Ioannes Pierius Valerianus, in libello quem scripsit pro sacerdotum barbæ, docet vulgata hætenus exemplaria pro *heroicis versibus* habuisse *hæreticis versibus*. Hæc sunt ejus verba, digna profectò quæ heic describantur: *At videte, obsecro, quæ damna plerunque depravati codices afferant. Notis in sacris legibus, dist. xv. Gelasij Papæ sententia est, venerabilis viri Sedulij paschale opus, quod heroicis descripsit versibus, insigni laude proferendum. Vulgata tamen hætenus exemplaria, pro heroicis versibus, hæreticis versibus habuere. Quod bonis quibusdam legum professoribus suspicionem oggessit poemata omnia esse hæretica, poetâsque inter pios, etiamsi sacra tractent, nequaquam adnumerari. id quod Hadriano VI. Pont. Max. usque adeo persuasum vidimus ut hæc causa nullum hominum genus majori prosequeretur odio quàm poetâs, id nominis nihil aliud præ se ferre arbitratus quàm impietatem. Et adhuc aliqui, non mali quidem Prasules, depravata illius lectionis hallucinatione & alterius hujus de rasitanda barbâ errore ducti, neminem sacerdotio dignum putant qui vel barbâ nutriat vel versus faciat. Tanti est pravam semel opinionem imbibisse.*

HISTORIA EUSEBII PAMPHILI] Heic Gelasius, sive quis alius sit auctor istius decreti, historiam Eusebij ecclesiasticam numerat inter apocrypha. Et tamen idem, cum in initio ageret de opusculis sanctorum patrum quæ in Ecclesia catholica recipiuntur, eandem historiam inter probatorum auctorum lucubrationes connumeraverat. Quod cum videret Beatus Rhenanus, existimavit verba illa, *Historia Eusebij Pamphili apocrypha*, adjecta deinde

huic decreto fuisse ab homine imperito. Hæc sunt ejus verba ex epistola ad Stanislaum Turzum Episcopum Olomutzensem, quæ præfixa est editioni Latinæ Eusebij & nonnullorum aliorum historicorum ecclesiasticorum ab eodem Rhenano procuratæ anno MDXXIII. Basileæ. *Quod autem, inquit, eadem xv. dist. paulo post legitur historiam Eusebij Pamphili apocrypham esse, ab aliquo asino adjectum est, nisi velimus dicere Gelasium sibi ipsi contrarium, ut qui in eodem decreto improbet librum antè à se probatum, quod est valde inconueniens.* Reprehendit autem Rhenanum Carolus Molinæus quod existimaverit hæc verba ab aliquo asino adjecta, cum potius dici debuisset alterius Eusebij esse historiam illam quàm Casariensis. Hæc sunt verba Molinæi. *Non est dicendum hæc verba ab aliquo asino adjecta, ut ait Beatus Rhenanus in præfatione sua in historiam Eusebij Casariensis, præsertim quia omnes libri sic habeant etiam inter Concilia Ecclesiæ to. 1. Sed dicendum, esse alterius Eusebij quàm illius Casariensis suprâ eod. col. 2. approbati.* Carolum deinde Molinæum, tacito tamen ejus nomine, reprehendit Contius in scholio ad hunc locum. *Sed nec iis assentior, inquit, qui de alio Eusebio hunc locum intelligi volunt quàm illius Casariensis cuius hodie extat utraque lingua historia ecclesiastica. Nam & Nicephorus in præfatione histor. eccles. ait in ejus historia apparere cacoëthes ejus hæreseos, & idem Gelasius paulo antè id significat.*

Mihi sanè illa conciliandæ istius contradictionis ratio probari non potest quam adfert Molinæus. Itaque observandum est cum clarissimo viro Ioanne Baptista Cotelerio, apocrypha à Gelasio non pro pseudepigraphis duntaxat sumi, verùm pro omnibus quæ quia notam aliquam mereri videntur, sive suppositionis, sive erroris, sive impietatis, abscondi debent atque ignorari, nec in publica versari notitia sicut libri canonici scripturarum & ij ecclesiastici patrum qui inoffenso pede decurri queunt. Quare inter apocrypha recenset Clementis Alexandrini opuscula, Tertulliani, Cypriani, Arnobij, Lactantij, aliorum, quamvis indubia. Huc usque observatio

Cotelerij. Iam verò satis omnes intelligunt sublatam esse eam repugnantiam, non quæ esset, sed quæ esse videretur in decreto de libris canonicis & apocryphis. Nam qui in prima parte monuerat Chronicon Eusebij Cæsariensis atque ejusdem historiæ ecclesiasticæ libros, quamvis in primo narrationis suæ libro reperit, & postea in laudibus atque excusatione Origenis schismatici unum texuerit librum, propter rerum tamen notitiam singularem, quæ ad instructionem pertinent, *usquequaque non renuendos*, nunc cum de libris agit auctorum in quibus nævi quidam & errores sunt, quique propterea non in omnium manibus esse debent, inter eos ponit historiam ecclesiasticam Eusebij, quam tolerari potiùs quàm suscipi ab Ecclesia dixerat in prima parte decreti, ut seculi nostri verbis sententiam veteris temporis explicemus. Vide Didacum Covarruviam lib. 4. variar. resolut. cap. 17. §. 7. ubi rectè ista explicat, conjecturam etiam Beati Rhenani refellens.

FAUSTI MANI. APOCHYPHA] In variis quæ hactenus prodierunt Gelasiani istius decreti editionibus sequitur: *Opuscula Commodiani apocrypha.* Quæ descripta non sunt apud Gratianum in vulgatis editionibus. Extant tamen in Contiana, sed diverso caractere cusa, ut intelligeremus addita ea non esse ex antiquis Gratiani exemplaribus, sed ex ipso Gelasij decreto huc translata velut in suum. Hic tamen agendi modus, ut ego arbitror, excitavit gravem Antonij Augustini censuram adversùs Contium, tanquam is perperam nonnulla Gratiano inseruisset quæ inferenda non erant. Hæc sunt Augustini verba ex præfatione ad antiquas collectiones Decretalium: *Audacius Antonius Contius nuper & Ioannes Quintinus, qui multa inserere ausi sunt pontificiis rescriptis. Eorum ego ingenium laudo, atque quod dat minimè aspsero. Id tamen mihi malo exemplo fieri videtur, si quod publica auctoritate accepimus, liceat nobis privata voluntate interpolare. Illi quidem præclarè notas addunt quibus sua ab alienis distinguantur. At res est plena periculi, cum facile in his librarij labi soleant & aliena verba vel longius separata in nostrorum verborum numerum referre.*

Di. 19. c. 3.
Inmemoriam

Hæc est inscriptio istius capituli in codicibus regio & Sangermanensi & in prima editione Moguntina: *Item ex capitulo Karoli Imperatoris.* Reliqui habent *Capitul.* Editio Veneta: *Item ex c. Karoli Imperatoris.* Burchardus lib. 1. cap. 220. citat ex Concilio Triburiensi, ubi extat. Fatendum tamen est cognitum magis fuisse hoc caput sub nomine Karoli quam sub nomine Concilij Triburiensis, nimirum à viris quibus Gratiani collectio notior erat quam codex Conciliorum. In tomo octavo Spicilegij Dacheriani edita est oratio à Pio secundo habita in conventu Mantuano, in qua hæc scripta sunt pag. 323. quæ ita legi debent, sicuti etiam leguntur in vetustissimo codice MS. bibliothecæ Colbertinæ. *Mirum si hæc ratio Carolum movit, quem prædecessoris sui Magni Caroli decebat imitatore esse, cujus hæc verba leguntur: In memoriam beati Petri Apostoli honoremus &c.* Sed ex canone Triburiensi descriptisse videntur Episcopi provinciæ Iuvavensis in epistola scripta anno DCCCI. ad Ioannem IX. Papam, quæ à Goldasto edita est in appendice documentorum de regno Bohemia. Hi enim ita loquuntur: *Nequaquam enim credimus, quod coacti quotidie audimus, ut de illa sancta & apostolica sede, qua nobis sacerdotalis mater est dignitatis & origo Christianæ religionis, profluxerit quippiam pervertitatis, sed doctrinæ & auctoritatis ecclesiastica rationis.* Vide additionem nostram ad caput XVI. libri secundum de concordia sacerdotij & imperij.

Di. 19. c. 9.
Anastasius.

Certum est permulta in hoc capite esse quæ non congruunt cum fide historiæ. Neque tamen propterea accusandus est Gratianus, cum ille non sit auctor istius narrationis, quam accepit ex veteri libro pontificali Romanæ Ecclesiæ. Rectè ergo Albertum Pighium reprehendunt Antonius Augustinus & Didaucus Covarruvias quòd omnem istius loci invidiam rejecerit in Gratianum. Vide quæ supra à nobis dicta sunt in Notis ad Antonium Augustinum pag. 427.

REVO CARE ACACIUM] id est, *dogma ejus,* ut habet glossa interlinearis in codice regio. Baronius autem ita interpretatur ac si Anastasius propensior fuerit in restituendo sublato è Diptychis Acacij nomine

mine. Fortassis neutra harum interpretationum vera est.

Epistola ista Leonis quarti ad Episcopos Britannia, cujus varia fragmenta refert Gratianus, reperitur integra in tomo tertio Conciliorum Gallia. Aliqua autem illius pars extabat in collectione Severini Bini.

Initium istius capituli sumptum est ex epistola 63. libri 7. epistolarum sancti Gregorij, ut rectè notant Correctores Romani.

Di. 20. c. 14
De libellis.

Di. 12. c. 4.
De Constanti-
nopolitana,

QUODET D. PISSIM.] Tota illa clausulaque ad verbum *profitentur* deest in omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus, etiam apud Democharem & Contium. Adjecta ergo est à Correctoribus Romanis contra omnium codicum & editionum fidem. Et tamen iidem cum soleant admonere si quid propria auctoritate ex originalibus, utunt, addant in contextu Gratiani, nihil heic admonuerunt; sed locum hunc uno tenore ediderunt interpolatum, ac si Gratianus ita legisset. Qua audacia non video fieri quicquam posse audacius.

EUSEBIUS] Tamenetsi clausula illa non extet apud Gratianum, adeoque Eusebius iste nihil faciat ad auctorem nostrum, utar tamen hac occasione ut admoneam vocem illam deesse in antiquissimo codice epistolarum sancti Gregorij manuscripto in bibliotheca regia, tum Thomam Iamesium in Vindiciis Gregorianis pag. 123. notare eandem deesse in antiquis epistolarum Gregorij libris à se visis. Denique Amalarius, qui epistolam illam totam integram refert in libro 4. cap. 26. de ecclesiasticis officiis, legit simpliciter, *frater noster ejusdem civitatis Episcopus*, omisso nomine Eusebij, quod omisit etiam Anselmus Lucensis lib. 2. cap. 68. Nullus quippe ea tempestate Eusebius fuit Episcopus Constantinopolitanus, sed Cyriacus, ut cuius manifestum est.

PRIMAS BYZANCENUS] Apud sanctum Gregorium lib. 7. Indict. 2. epist. 64. hæc scripta sunt in titulo: *De Episcopo Constantinopolitano de crimine accusato*. Hanc porrò summulam, ut vocant Correctores Romani, seu potius corruptelam esse

antiquissimam colligitur ex epistola XLVII. Hinc-
 mari Remensis Archiepiscopi ad Ioannem VIII.
 Papam scripta nomine Karoli Calvi. In capite enim
 quinto referens locum ex hac epistola Gregorij de
 prerogativa sedis apostolicæ, cui se Episcopus in ea
 epistola nominatus dicebat velle subijci, Hincmarus
 apertè interpretatur de Episcopo Constantinopolita-
 no. Quod aliunde, ut opinor, accipere non potuit
 Hincmarus quàm ex lemmate jam tum appposito huic
 epistolæ. Habetur illud in antiqua editione Parisien-
 si epistolarum sancti Gregorij facta anno MDXVII.
 itémque in ea quæ anno MDLXXXVI. in eadem urbe
 procurata est cum reliquis sanctissimi Pontificis ope-
 ribus. Cùm ergo lemma istud sit antiquum, adeoque
 per multa secula citra controversiam putatum sit
 heic agi de Episcopo Constantinopolitano, ut patet
 ex glossis Gratiani tam editis quàm manuscriptis,
 non bene mihi fecisse videntur qui Romæ curam
 edendarum sancti Gregorij lucubrationum suscepe-
 runt anno M D X C I. titulum illum ita mutantem pro-
 pria auctoritate: *De Episcopo Bizaceno provincia
 Africa de crimine accusato*. Porrò omnes antiqui co-
 dices, omnes Gratiani editiones ante Romanam,
 habent in hoc loco *Byzancenus Primas*. In antiquis-
 simo tamen epistolarum ejusdem Gregorij codice
 MS. bibliothecæ regię legitur *Bizazenus*; apud An-
 selmum verò Lucensem lib. 2. cap. 68. in codice San-
 germanensi *Byzacenus*, in Barberino *Bizacenus*. quo
 etiam modo habetur in editione Romana epistolarum
 sancti Gregorij. Certa est haud dubiè emendatio. Ita-
 que verè mendum heic esse pronuntiavit illustrissimus
 Cardinalis Baronius ad annum D X C I X. de Primare
 enim Byzaceno agi, non autem de Episcopo Constanti-
 nopolitano. Vt mirum valde sit illustrissimum Cardi-
 nalem Perronium postea contendisse loqui in hoc loco
 sanctum Gregorium de Constantinopolitanæ urbis
 antistite. Occasio postulat ut post emendatum istum
 locum, eandem medicinam adhibeamus Hieronymo,
 Augustino, & Zozimo, qui eodem vitio laborant.
 Itaque apud Hieronymum in dialogo adversus Luci-
 ferianos Muzonius (quem fuisse Episcopum primæ

sedis Byzacenæ patet ex Concilio Carthagine habito
 anno cccxcvii.) dicitur *Episcopus provincia By-*
zantina. pro quo reponendum est *Byzacena*, ut nemo
 non videt. Atque ita omnino scriptum vidi in vetu-
 tissimo codice MS. bibliothecæ sancti Germani Pa-
 risiensis: *Muzonius Episcopus provincia Byzacena, cui*
propter atatem primatus ab omnibus deferebatur, ita
locutus est. Apud Augustinum in epistola XLVIII. ita
 editum est: *Omnes vos Maximianista superabunt,*
quorum schisma in Byzantio & in Tripoli exarsit. Le-
 gendum ergo heic quoque *Byzacio*, ut manifestum est.
 Eodem modo emendanda est inscriptio epistolæ XIII.
 Zozimi Papæ, quæ ita habet: *Zosimus Episcopus per*
Byzantium constitutus. Quid enim hoc monstri est, si
 per Byzantium heic Constantinopolim intelligas? Da-
 ta est ergo ad Episcopos per Byzacium constitutos.
 quæ una est ex provinciis Africanis. Error hinc ortus
 quod antiqui illi librarij sæpenumero scriberent *By-*
zantium pro *Byzaciūm*. Exemplum istius mali moris
 extat in veteri Notitia provinciarum MS. cujus nos
 exemplar unum habemus, aliud simile extat in bi-
 bliotheca illustrissimi Archiepiscopi Remensis Ka-
 roli Maurij Tellierij. *In Africa sunt provincia nu-*
mero VI. Proconsularis, in qua est Carthago, Numi-
dia, Bizantium &c. Item vetus codex sancti Petri
 Pictaviensis MS. *Provincia Africana numero VI. Pro-*
consularis, in qua est Cartago, Nudimia, Bizantium,
Tripolis, &c. Sed has provincias rectius enumerat
 Rufus Festus in breviario suo: *Per omnem Africam*
sex provincia facta. Ipsa ubi Carthago est, proconsu-
laris, Numidia consularis, Byzacium consularis. Sic
 in veteri codice canonum Ecclesiæ Romanæ, cum in
 actis Concilij Carthagine habiti anno tertio & qua-
 dringentesimo recensentur Episcopi provinciarum
 Africae qui Concilio illi adfuerunt, ita legitur: *Ordo*
itaque rerum deposcit ut primitus de fratribus nostris
& consacerdotibus qui ad hoc Concilium vel de By-
zantio vel certe de Mauritania convenerunt, quara-
mus, quemadmodum huic Concilio decreverint inter-
esse. Et offerentibus Philologo, Gesta, Venustiano, &
Feliciano Episcopis provincia Byzantina legationis lite-

ras &c. Et infra: *Animadvertimus fratres & cœpiscopos nostros Byzantina provincia &c.* In quibus locis Byzacio & Byzacena rectè reposuit vir clarissimus Christophorus Iustellus, tum in codice Dionysij Exigui, tum etiam in codice canonum Ecclesiæ Africanæ.

Di. 22. c. 6.
Renovantes.

SUPERIOR ROMA] In antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus legitur *inferior Roma*; nisi quòd in regio emendatum est à manu antiqua *superior*. In vetere Victorino supra vocem *inferior* addita est hæc inepta glossa, *ratione vallis*, ac si superior & inferior Roma esset ratione situs. Melius Cortius, qui in margine adnotavit legendum heic esse *senior*, quod etiam placuisse video Antonio Augustino.

DEINDE ANTIOCHENA] Cogor in hoc loco defendere Gratianum adversus Cujacium, qui eum arguit malæ fidei, quasi canonem istum Trullanum, quem Cujacius adscribit synodo Chalcedonenfi, corruperit. Hæc sunt verba Cujacij ad caput 3. *Sane si. de foro competenti: Et initio quidem quatuor tantum Primates constituti sunt ex Concilij Constantinopolitani sexti canone 36. & Iustiniani Nov. 123. nempe hi quatuor, Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Hierosolymitanus. Deinde cum Romanus se super omnes sic in cælum extulisset, jam noluit se Primatem appellari aut Primatibus adnumerari, quasi non habentem comparem. Tum pro Romano substitutus est Antiochenus Primas c. penult. 22. dist. ex Concilio illo Chalcedonenfi, sed depravato dedita opera à Gratiano, putà pro Romano substituto Antiocheno.* Primò certum est nihil heic circa Romanum Pontificem mutatum fuisse à Gratiano, & Antiocheni Patriarchæ mentionem in hoc canone Trullano verè factam. Deinde errat Cujacius cum existimat Patriarcharum quatuor sive Primatum institutionem primò factam fuisse in synodo Trullana, quam ipse Constantinopolitanam sextam nominat. Ex Novellis porrò Iustiniani colligitur quinque olim patriarchales sedes fuisse, & in his connumeratam etiam Romanam. Qua de re vide Marcam in libro primo de concordia cap. 5. §. 4. & 5.

Heic ad verba Gratiani in principio distinctionis posita adnotandum est cum Antonio Augustino in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 1. tit. 4. cap. 9. tractatum ordinandorum appellari solere à Gratiano à distinctione ista usque ad quæstionem primam sive causam conscripta, idèoque veteres interpretes Alanum, Vincentium, Tancredum, Laurentium, & ceteros, cum capita collectionis illius referunt, semper *suprà* addere, perinde ac si post Gratiani volumen hoc adscriptum esset. Occasio hujus observationis hæc est ex loco citato primæ collectionis Decretalium: *Illud autem quod de Archiepiscopi consecratione, ordinatione &c. ut in tractatu ordinandorum.* id est, dist. 66. cap. 1. ut monuit idem Augustinus.

Hoc caput à Gratiano citatur ex Concilio Carthaginensi quarto. Nos verò in Notis ad Reginonem pag. 177. monuimus sumptum esse ex Statutis Ecclesiæ antiquis, quæ olim unicuique Episcopo legebantur in consecratione sua.

COMAM NON NUTRIANT] Ad Clericorum enim modestiam pertinet, ut ait vir doctissimus Karolus Annibal Fabrotus ad titulum Decretalium de vita & honestate Clericorum, ut neque comam alant neque barbam. quo loco multa de hoc vetere instituto disserit. Hinc celebratissimus ille canon Concilij quarti Carthaginensis: *Clericus nec comam nutriat nec barbam.* ubi tamen quidam codices addunt *radat vel tondeat.* Inde factum ut inter oppositiones quas ævo Nicolai primi adversum Latinos Græci faciebant, illud etiam quærent, cur Clerici barbas raderent, ut patet ex Ratramno, Ænea Parisiensi, & aliis. Quod rursus ævo Leonis IX. Latinis exprobratum fuisse à Niceta cognomento Pectorato observat Christianus Lupus pag. 1439. ubi multis ex antiquitate testimoniis probat hunc occidentalis Ecclesiæ usum antiquitus fuisse ut Clerici barbas raderent. Itaque verè Gregorius VII. lib. 9. epist. 10. scribere potuit totius occidentalis Ecclesiæ clerum ab ipsis Ecclesiæ Christi primordiis barbam radendi morem tenuisse. Elegans & festiva est

Ff iij

Di. 23.

Ibid. c. 2.
Qui Episcopus.

Ibid. c. 21.
Prohibete.

historia cuiusdam Presbyteri Gothi sive Dalmatæ, quem Thomas Archidiaconus Spalatensis in capite xv i. historiæ Salonitanæ graviter objurgatum narrat ab Alexandro secundo quòd barbam radere secundùm catholicæ Ecclesiæ morem renueret; additque: *Illico autem venerandus Pontifex propria manu paucos pilos de barba illius præcidit, & mox astantibus ut eum ecclesiastico more raderent iussit.* Denique cum barbæ cœpissent in honore esse, ac tamen plerique eas exhorrescerent tanquam rem novam & alienam à moribus Ecclesiæ, Ioannes Pierius Valerianus ævo Clementis septimi libellum Romæ edidit pro sacerdotum barbis, qui dein Parisiis recusatus est anno M D XXXIII. In eo libello Pierius evincere multis ac variis argumentis conatur faciendum esse sacerdotibus barbæ alendæ potestatem. Inter incommoda verò quæ ex barbæ rasuratione in Ecclesiam inducta esse conqueritur, illud etiam addit, eò aliquando nostrorum delicias processisse ut hujus rasurationis ergò confusa quodammodo specie difficulter vir à femina internosceretur, atque hinc accidisse ut mulier ad pontificij solij maiestatem eveheretur. Sed adversus Pierium, quem novellum barbæ laudatorem vocat, scripsit postea Géntianus Hervetus alium libellum de pilis & barba radenda, qui editus est Parisiis anno M D XXXV. in quo inter alia sic loquitur: *Quamquam satis mirari non possum quid sacerdotem ullum ulla ex parte impellere possit ut barbam alere quàm radere malit. Si enim ex eo vultui dignitatem & maiestatem quarit, quorsum attinet pilorum densitate inanem gravitatis laudem captare, turpissimis & nequissimis (pro dolor) factis summam levitatem effundere?*

Di. 23. c. 29.
Mulier.

Aliter legitur hoc caput in prima appendice Reginonis cap. 19. *Mulier, quamvis docta & sancta sit, viros in conventu docere non præsumat. Similiter nec baptizare.* Apud Burchardum verò lib. 8. cap. 83. *Mulier quamvis docta in conventu docere non audeat.* In Concilio Carthaginensi quarto, unde petatum est istud caput, ita legitur: *Mulier, quamvis docta & sancta, viros in conventu docere non præsumat. Mulier baptizare non præsumat.*

Caput istud nullam habet inscriptionem in anti-
 quis Gratiani exemplaribus & editionibus, etiam
 usque ad Democharis & Contij tempora. Sed quia
 Demochares & Contius in margine adnotaverant
 sumptum esse ex canone 13. Concilij quarti Cartha-
 ginensis, hinc audaces facti Correctores Romani
 eam observationem transtulerunt in textum Grati-
 ani fari coacti quæ nunquam sciverat. Accepit enim
 haud dubiè ex Burchardo aut Ivone, apud quos di-
 citur esse caput 101. Concilij apud Valentias. Rectè
 Regino lib. 2. cap. 153. *Ex Concilio Carthaginensi.*

Di. 23. c. 33.
 Sponfus.

Sumptum est hoc caput ex epistola Isidori Hispa-
 lensis Episcopi ad Ludifredum Cordubensem Episco-
 pam, ut præfert inscriptio. Sub finem verò, cum digni-
 tas & auctoritas Archidiaconi explicantur, hæc ad-
 duntur: *Archipresbyter se esse sub Archidiacono &c. usque*
ad vel cui ipse injunxerit. Eadem extant in Decreto
 Ivonis parte 6. cap. 20. ubi Ioannes Molinæus ista
 adnotavit in margine: *Hæc non habentur in codice re-*
gio, suspectaque mihi perpetuò visa sunt, quòd Archi-
presbyter subdatur Archidiaconis. quod vetustum non
esse in canonibus Conciliorum vel mediocriter versatus
nemo ignorat. Consulimus nos super ea re codicem
 antiquissimum bibliothecæ sancti Victoris Parisien-
 sis, in quo clausulam illam non invenimus; ejusdem-
 que, ut opinor, auctoritate ductus Antonius Con-
 tius ista ad hunc locum adnotavit in margine Grati-
 ani: *Desunt apud Ivonem.* Itaque Correctorum Ro-
 manorum hæc verissima adnotatio est ad locum de
 quo nunc agimus: *Hinc usque ad vers.* Ad primice-
 ritium non sunt in ipsa epistola Isidori, neque in Pan-
 normia, neque apud Burchardum. Mirum enim vero
 non est ista non extare apud Burchardum, qui non
 omnia ex illa Isidori epistola descripsit quæ de Ar-
 chidiaconi officio agunt, sed in illis verbis excerpta
 sua finivit, *Clericis proprias partes idem distribuit.* In
 Decretalibus Gregorij IX. in titulo *De officio Ar-*
chipresbyteri ea quæ à Gratiano referuntur de aucto-
 ritate Archidiaconi super Archipresbyterum, lau-
 dantur ex Concilio Toletano. Sed in nullo Toleta-
 norum Conciliorum reperiuntur, & Garfias Loaisa

Di. 25. c. 1.
 Perlectis.

noluit verba illa agnoscere pro verbis canonum Tolitanorum. Ceterum Cujacius, agens de hoc ipso negotio ad caput penult. de causa possess. & propriet. ait: *Nam Archipresbyter subjectus est Archidiacono, Presbyter Diacono. Quod prima fronte mirum videtur. Et verum est tamen.* Item ad caput 8. Ex parte. De Clericis non resident: *Et quamquam, inquit, possit videri in clero tanto major esse Archipresbyter Archidiacono quanto major est Presbyter Diacono, tamen Archidiaconus Archipresbytero prapponitur, cap. 1. sup. de offic. Archipresbyt. & can. 1. 25. dist. Et Arnulphus Episcopus Lexoviensis in epistolis etiam scribit Archipresbyterum ab Archidiacono eligi & confirmari ab Episcopo. Ex quo sequitur Archidiaconum esse Archipresbytero majorem.* Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 1. tit. 16. cap. 1.

Di. 27. c. 6.
Quod interro-
gati.

Hoc caput in prima appendice Reginonis cap. 57. refertur ex epistola Nicolai Papæ primi ad Adalvvinum Archiepiscopum Iuvavensem. quæ est sincera capituli istius inscriptio. Vide Notas ad Reginonem pag. 595. Similis medicina adhibenda est capiti *Quorundam*. dist. 34. & capiti *In tuis*. 7. q. 2. ut illic dicemus. De sensu porro istius capituli consule Cujacium ad cap. *Consuluit*. 4. *Qui Clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt.*

Di. 28. c. 8.
Diaconi.

Ex isto capite collegit Cujacius ad caput primum ejusdem tituli etiam Diaconos ex permisso Episcopi ea lege posse in ordinem Diaconorum conscribi ut tamen sibi quandoque liceat ducere uxorem liberorum procreandorum causa. *Quod tamen Iustinianus, inquit, probare non videtur Nov. 123.*

Ibid. c. 12.
De Syracusa-
na.

Variant inscriptiones istius capituli in antiquis codicibus. Sangermanensis habet: *Item Pelagius Cethego Patricio.* Colbertinus & Victorini duo, *Cethego. Regtus, Cetheo.* Veteres editiones, *Cethego.* quo etiam modo edidit Iurretus in epistola 55. Ivonis Episcopi Carnotensis, qui hunc locum citat. atque ita etiam habet editio istius epistolæ apud Holstenium in collectione Romana. Sed apud Anselum lib. 6. cap. 40. in codice sancti Germani Parisiensis scriptum est

Cetero. quæ lectio reperitur etiam in libro Barberino ejusdem Anselmi. Correctores Romani videntur elegisse meliorem lectionem. Cethegi namque Excon-
fatis & Patritij tempore Justiniani mentio est in epi-
stola Vigilij Papæ encyclica ad universam Ecclesiam
de secessu suo ad sanctam Euphemiam.

In antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus hæc est inscriptio istius capituli: *Item ex sexta synodo.* Reliqua addita sunt à Correctoribus Romanis, sed admentis à Contio, qui in margine editionis suæ adnotavit ista extare in canone 26. synodi in Trullo.

PRESBYTERUM] *scilicet orientalem*, ut ait vetus interpres in veteri codice Victorino, vel *orientalis Ecclesia*, ut ait alter vetus interpres in codice regio.

PER IGNORANTIAM] Hæc verba non habentur in antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus, neque apud Democharem & Contium. Sed in glossa legitur: *Potest intelligi de eo qui contraxit secundas nuptias per ignorantiam juris.* Nam & vetus interpres in codice regio per non legales nuptias intellexit secundas. *non legalibus*, ait, *id est, secundis.* quam interpretationem amplexus esse videtur Innocentius III. lib. 2. epist. 66. ex qua sumptum est caput Nuper De digamis non ordinandis. At Balsamon & Zonaras in scholio ad hunc locum interpretari maluerunt de eo qui per ignorantiam suæ cognatæ legitime conjunctus est & postea factus Presbyter. Atque ego sanè eam sententiam puto esse veriorem. Nemo enim se secundis nuptiis alligat per ignorantiam juris, & nihil unquam fuit vulgarijus in Ecclesia quam ei non licere esse in sacerdotio qui non esset prius uxoris vir. Vide Antonium Augustinum in fine dialogi octavi libri prioris. Quòd autem Correctores Romani heic in contextu Gratiani addiderunt has duas voces, *per ignorantiam*, sumpserunt haud dubiè ex canone Trullano, ubi extant. Ego tamen maluissem Gratianum purum putum edidissent, additiones porrò istas, quæ alioqui bonæ sunt, potuissent in margine aut in Notis.

Cujacius ad caput 7. *Vestra De cohabitatio Cleric.*

Di. 28. c. 16.
Presbyterum.

Di. 32. c. 5.
Nullus.

ac mul. disputat in utramque partem an rite possit quis & impune sine fraude interesse sacris quæ faciis qui concubinam habet vel focariam, qui inquam quo in alio flagitio & dedecore volutatur, vel etiam an de manu ejus ritè & legitimè sacramenta sumere possit.

Carolus Molinæus in annotatione ad caput istud hæc omnino ait: *Cum hæc decreta Dominus Mansencallus primus Tolosani senatus Præses exequi vellet anno 1550. non caruit Epicureorum & Sophistarum cum illis colludentium calumniis.*

Di. 32. c. 6.
Præter hoc.

CUM HIS QUI PRÆFATÆ] In editione Lovanienfi Pannormiæ lib. 3. cap. 135. ita legitur hic locus: *officia qui præfata constitutioni fuerint inobedientes maneat.* Melius in editione Basileensi & in codice Victorino: *ad divina officia qui præfata constitutionis fuerit inobediens maneat.*

Di. 32. c. 17.
Hospitiolum.

Hoc caput ita inscriptum est in antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus: *Item Hieronymus.* Demochares addidit: *ad Nepotianum de vita Clericorum.* quam additionem retinuit Contius. Retinuerunt quoque Correctores Romani, sed addiderunt, & *alibi*, quia videbant caput hoc esse collectum ex variis beati Hieronymi locis in quibus de vitanda mulierum consuetudine agitur.

Di. 32. c. 19.
Mulieres.

MATRICURIA] Apud Fulgentium Ferrandum in breviatione canonum cap. 221. legitur *matricula.* quam lectionem confirmat in Notis suis Petrus Franciscus Chiffletius vir doctissimus.

Di. 34. c. 1.
Quorundam.

Mendosa est inscriptio istius capitis, quæ sic restituenda est: *Nicolaus Papa ad Adalwinum Archiepiscopum.* Vide quæ dicta superius sunt dist. 27. cap. 6. *Quod interrogasti.*

Di. 36. c. 1.
Illiteratos.

Admonent in hoc loco Correctores Romani duas istas voces *vitiatos vel* abesse à plerisque vetustis exemplaribus Gratiani & ab originali. Non extant sanè in regio Gratiani codice, neque in Sangermannensi aut Victorinis, neque demum in Colbertino. Immo Regino lib. 1. cap. 411. & Burchardus lib. 2. cap. 18. referentes istud Gelasij decretum, duas illas voces omiserunt. Ivo verò parte 6. Decreti cap. 37.

& 75. & in Victorino Pannormiæ codice illas pariter non habet: Habentur tamen in editionibus Pannormiæ & in antiquissimis Gratiani editionibus Moguntina & Veneta.

CUNCTOS IPSE JUDICATURUS] Indubitati juris est in Decreto Gratiani, Romanum Pontificem nullius mortalis hominis iudicio subiacere, ipsam autem fas habere de omnibus iudicandi, neque cuiquam licere de ejus iudicare iudicio, ut legitur in capite *Cuncta* 9. q. 3. Ex ea persuasione descendit notabile illud & celeberrimum Bonifacij VIII. apophthegma in capite *Licet* De Constitutionib. in Sexto; *Romanus Pontifex jura omnia in scrinio pectoris sui reseruat habere*. Attamen eam non fuisse omnium sententiarum apostolicarum Pontificum sententiam probari potest auctoritate Silvestri secundi. Consultus ille à quodam Abbate, non statim respondit, quia destitutus erat auxilio suorum librorum, quos in Gallia reliquerat, & Romæ libri istiusmodi non extabant qui de rebus canonicis tractarent. Hac sapienti excusatione deprecatus culpam tarditatis, tum se præsumens adversus invidiam si quid non rectè rescriberet absque librorum auctoritate, ad postulata Abbatis respondere se ait quæ memoria teneret. Quod si Silvester putasset omnia jura contineri in scrinio pectoris sui, nimirum expectanda statim erat responsio ad inquisitiones Abbatis, neque recurrendum ad frivolam illam & inutilem excusationem de absentia librorum suorum. Sed operæ pretium est heic describere epistolam ipsam ex veteri codice sancti Germani Parisiensis in quo collectio continetur quæ vulgò tribuitur Anselmo Lucensi. Sic ergo ibi habet in fine libri undecimi.

Di. 40. c. 6.

Si Papa.

EX DECRETO SILVESTRI PAPÆ.

Silvester Episcopus servus servorum Dei Abbati salutem & apostolicam benedictionem. De hoc unde nos consulisti ideo respondere tibi distulimus quoniam auctoritatem in Romanis voluminibus non habemus. Illos autem libros in quibus specialem sen-

tentiam legimus, in Gallia relictos recolimus. Aliquid tantum memoriæ retinemus quod tuæ petitioni sufficere posse credimus. In eisdem libris de Episcopis per pecuniam promotis legitur ut quisquis talis inventus fuerit, per biennium pontificali officio carens, duos dies per ebdomadam vino & cocto se absteineat, & post finitum psalterium comedat. Hoc quippe traditionibus priorum patrum concordare videmus, qui huiusmodi Episcopos deponi sanxerunt. Officij suspensio evidenter fit cujusque depositio. Qui enim deponitur, à communione privatur. Valet utique tantundem biennij suspensio cum pœnitentia quantum sola depositio. Qui verò post biennem suspensionem & pœnitentiam officio suo redditur, quasi post depositionem misericorditer reconciliatur. Incipe ergo post octavas Pentecosten prædictum biennium, & eo pacto tuo officio sis restitutus. Si fratrum custodiam & totius cœnobij sarcinam alicui fratrum committere possis, donec pœniteas committe. Sin autem, oportet, quamvis graveris, ut ipse patienter totum sufferas. Multiplex igitur calor purius effundit à fornace metallum.

Di. 42. c. 7.
In oratorio.

Caput istud non extat in libro Sangermanensi. In aliis verò & in antiquis editionibus refertur simpliciter ex Augustino, hoc modo: *Item Augustinus*. Editiones Demochæris & Contij: *Item Augustinus epistola 109. ad monachas*. Editio Romana: *Item Augustinus epist. 109. de regula monachorum*. Et tamen hæc verba non reperiuntur in epistola illa Augustini. Regino lib. 1. cap. 54. cum quiddam aliud attulisset ex dictis Augustini, in titulo istius capituli hæc tantum verba posuit: *Item alibi*. Ex quo Burchardus lib. 3. cap. 80. collegit istud quoque caput sumptum à Reginone esse ex Augustino; adeoque inscriptio ejus hæc apud illum est: *Ex dictis Augustini*. Hinc ergo acceperunt Ivo & Gratianus. Inventum autem est hoc caput in regula Tarnatensis monasterij cap. 15. Vide Notas eruditissimi viri Hugonis Menardi ad caput 59. concordia regularum §. 4.

Di. 44. c. 7.
Nullus Presb.

Burchardus lib. 2. cap. 161. & Ivo parte 3. cap. 252. itémque Gratianus citant ex Concilio Nannetensi

cap. 10. ubi non habetur. Fons illius errati est Regino lib. 1. cap. 213. qui non satis bene ista distinxit. Vide illic Notas nostras. Extat hoc caput in Capitulis Hincmari tit. 1. cap. 14. Vide Cujacium ad caput 14. De vita & honestate Clericorum.

Partem istius capituli, nimirum hæc verba *Nec oportet Clericos, & quæ sequuntur*, Regino lib. 1. cap. 187. retulit absque nomine auctoris. Burchardus lib. 1. cap. 165. & post illum Ivo parte 6. cap. 256. ex *Concilio Carthagenensi cap. 12.* Gratianus in codicibus manuscriptis & in antiquis editionibus ex *Concilio Martini Papa*, in editione Romana ex *Concilio Martini Papa cap. 61. & 66.* Extat in Additione quarta Capitularium cap. 49. ubi in veteri codice MS. Petri Pichœi scriptum est *gratias auctori & datori Deo referre*, cum ceteri habeant simpliciter *gratias auctori Deo referre*.

Caput istud multum illustrat Cujacius ad titulum Decretalium de vita & honestate Clericorum cap. 2. Regino libro 1. cap. 342. citat ex Concilio Bracarenfi, id est, ex capite 17. Martini Bracarenfis. Re-
 tæ heic adnotant Correctores Romani delendas esse voces illas, *aut subdiaconus*, quæ extabant in editionibus Gratiani quæ antecedunt Romanam. Etenim illæ voces desunt in antiquis Gratiani exemplaribus regio, Sangermanensi, Colbertino, Victorinis, & ab antiquis editionibus Moguntina & Veneta; neque pariter extant apud Martinum Bracarensem, Reginonem, Burchardum, & Ivonem.

Antonius Augustinus pag. 39. censet scribendum esse *Masoni* in titulo istius epistolæ. Antiqua collectio canonum Andegavensis ita habet: *In epistola Isidori Episcopi ad Massonem Episcopum de restauratione sacerdotis. Domino sancto meritisque beato Masoni Episcopo.* Ita etiam editum est ab Henrico Canisio in tomo quinto lectionis antiquæ pag. 293. ex veteribus membranis monasterij Vveingartensis & à Nicolao Serario in epistola septuagesima secunda inter Bonifacianas. In vetustissimo codice MS. sancti Petri Pictaviensis legitur *Mansoni*. Fortè est Massona Emeritensis Episcopus, qui Concilio Toletano tertio subscripsit.

Di. 44. c. 12.
Non liceat,

Di. 47. c. 5.
Si quis Cler-

Di. 50. c. 22.
Si quis Presbyter.

Di. 50. c. 28.
Domino,

IN GESTIS CONCIL.] Cujacius ad titulum Decretalium de cognatione spirituali cap. 1. explicans hunc locum ait illum sic intelligi debere ut potior sit semper synodus œcumenica siue universalis provinciali, quamvis sit posterior, alioqui ubi par est potestas utriusque Concilij, posterius priori prevalere. Eadem mens fuisse videtur antiquo canonum collectori quem vir clarissimus Lucas Dacherius edidit nuper in tomo undecimo Spicilegij. Sic enim legitur in fine præfationis: *In quibuscunque rebus generalium Conciliorum auctoritatem non habemus, magis earum synodorum qua per singulas provincias facta sunt quam proprium nostrum sequendum sensum.* Viderat Beatus Rhenanus hanc præfationem, cujus magnam partem edidit in admonitione de Tertulliani dogmatis, ubi demum addit, de tribus istius collectionis libris loquens: *Quos libros magno redimere cupiam. Sed injuria temporis & hominum incuria deperditi sunt, solo hoc opusculo salvo, quod præfationis illic vicem habet, & huc totum à me est appositum studiosis rerum Christianarum consulturo.* Pax, vir eruditissime. Deperditi non sunt libri illi, & nunc editi sunt ex antiquissimis codicibus in Gallia nostra repertis. Addit rursus Rhenanus: *Testatur in calce se non tantum œcumenica Concilia secutum, sed quadam ex provincialium synodorum constitutionibus accepisse, in quibus presidere solet metropolitanus Episcopus. Quo libentius legere velim modò dictos libros.*

Di. 50. c. 34.
De his verò.

In præfatione nostra ad epistolam Rhabani ad Heribaldum cap. 6. & 13. jam monuimus verissimam esse inscriptionem istius capituli apud Gratianum, falsam verò esse apud Burchardum, qui caput illud accepisse se ait ex Concilio Ilerdensi, unde non rectè peti rectissimè admonuit Antonius Augustinus in Notis ad Pœnitentiale Rhabani. Falsum quoque est quod Romani Correctores addiderunt in contextu Gratiani, nimirum hoc caput sumptum esse ex libro illo pœnitentiali cap. 1. Nam neque liber ille inscriptus est Heribaldo, neque verba quæ heic referuntur ex epistola ad Heribaldum extant in primo ejusdem epistolæ capite, sed in decimo. Re autem vera caput

quod est decimum in epistola ad Heribaldum, primo loco ponitur in libro pœnitentialem ad Otgarium misso.

In codice Sangermanensi hæc est inscriptio istius capituli: *Vnde Urbanus secundus scribit Guarnerio Merseburgensi Episcopo*. Sic etiam scriptum primò fuit in regio; sed postea emendatum est, & pro *Mereburgensi* repositum *Nerebonensi*, puncto addito sub secunda e quod significat hanc quoque literam esse delendam ut legatur *Nerbonensi*. Antiquus itaque liber Victorinus & prima editio Pannormiæ habent *Nerbonensi*. Ceteri & antiquæ editiones Moguntina & Veneta *Narbo-nensi*. Quo etiam modo legitur in Lovaniensi Pannormiæ editione lib. 3. cap. 154. Et tamen certum est nullum ea tempestate Narbonensem Archiepiscopum fuisse Guarnerium, sed Dalmatium, cujus successor Bertrandus ex cathedra Nemaufensi ad Narbonensem translatus est ab Urbano secundo. Itaque quærenda est vera inscriptio hujus capituli. Guillelmus Catellus in libro quinto Memoriarum historiæ Occitaniæ pag. 784. Notat in antiquis codicibus manuscriptis hoc caput inscriptum esse *Guerino Neubrigensi Episcopo*. Verum istud quoque falsum omnino est, quia nullus unquam Neubrigensis Episcopus fuit. Itaque heic agitur de Episcopo Mereburgensi seu Mersepurgen-si in Germania, ut docet antiquus Pannormiæ codex Victorinus, in quo sic legitur: *Urbanus II. Guarnerio Mereburgensi Episcopo*. Quo etiam modo supra adnotavimus scriptum esse in Gratiani libro Sangerma-nensi. Vernerum porrò fuisse Episcopum Mersebur-gensem sive Marspurgensem ab anno 1073. usque ad tempora Paschalis secundi docet ex Brorurfo Ioannes Gualterius in Chronico Chronicorum.

CLERICO IACIENTE] In tertia collectione Decretalium lib. 5. tit. 7. cap. 5. extat mentio casus cujusdam qui huic similis est. Item in epistola Olle-garij Archiepiscopi Tarraconensis ad Raymundum Episcopum Aufonensem, cujus mentionem fecimus in Appendice synopsis Conciliorum Philippi Labbei pag. 382.

Regino lib. 2. cap. 95. & post eum Burchardus lib. 6. cap. 33. & Ivo parte 10. Decreti cap. 162. citant

Di. 50. c. 37.
Clerico,

Di. 50. c. 40.
Qui verò,

464 STEPHANI BALVZII
ex Concilio Mogontiacensi, cum Gratianus referre
se dicat ex Matiscensi.

Di. 50. c. 64.
In capite.

Regino lib. 1. cap. 291. citat istud caput ex eodem
Concilio ex quo retulerat caput quod præcedit, id
est, ex Concilio Agathensi, ubi non extat. Item Bur-
chardus lib. 9. cap. 26. in editis. Admonent tamen
Correctores Romani in uno manuscripto Burchardi
exemplari citari ex Pœnitentialem Romano. Quo etiam
modo citatur in alio antiquissimo Burchardi exem-
plari quod extat in bibliotheca illustrissimi viri Dio-
nyssij Talonij regij Advocati in Parlamento Pari-
sienfi.

Di. 54. c. 2.
Nulli.

Vide Reginonem lib. 1. cap. 407. Rectè verò no-
tant Correctores Romani caput istud aliqua ex parte
convenire cum iis quæ scribuntur lib. 1. Capitularium
cap. 88. de ordinatione servorum.

Di. 54. c. 3.
Magnus.

Caput istud non extat in codice Sangermanensi, ne-
que in regio, neque demum in vetere Victorino. Ex-
tat tamen in recentiore Victorino & in Colbertino,
cum hac inscriptione: *Ex Concilio Magontiacensi capi-
tulo VIII.* Quo etiam modo habent antiquæ editio-
nes Moguntina & Veneta, itémque Demochares &
Contius, nisi quòd *Maguntinensi* habent pro *Magon-
tiacensi*. Iidem in margine ista adnotarunt: *Ca. 8. Con-
cil. Carthagi. primi id habetur.* Ex quo factum est ut
Correctores Romani, abolita inscriptione quæ in
omnibus Gratiani editionibus extabat, istam, quæ
certa est, substituerint: *Ex Concilio Carthaginensi
primo c. 8.* Rectè, ut dixi. Sed ego mallem ut depra-
vatam lectionem retinuissent in contextu Gratiani,
bonam verò exemplo Demacharis & Contij reposu-
issent in margine. Vide Notas Antonij Augustini ad
primam collectionem Decretalium lib. 1. tit. 11.

ASTIAGENSIS] In codice Colbertino & in
prima editione Moguntina legitur *Augustensis*, in
Victorino recentiore *Augustinensis*, in antiqua verò
editione veneta *Augustudinensis*, apud Democharem
Augustudunensis. Sic etiam Contius, nisi quòd in
margine admonuit legendum, esse *Astuagensis*, quo
modo habet in omnibus codicibus vetus collectio ca-
nonum, edita in tomò x. i. Spicilegij Dachseriani,
lib.

lib. 3. cap. 30. nisi quòd Trecentis habet *Astiagensis*. Sincera verò prisca bonæque lectionis vestigia superant etiamnum in veteri codice MS. Ecclesiæ Virgelenfis, in quo antiqua Isidori collectio continetur, ubi scriptum est: *Magnus Episcopus Astuagenesius*.

Certum est caput istud sumptum non esse ex Concilio Toletano, sed ex libro primo Capitularium. Manifesta autem est origo istius erroris, ut ostendimus ad caput 394. libri primi Reginonis de ecclesiasticis disciplinis. Hallucinatio fuit Burchardi. Idem dicitur de capite octavo ejusdem distinctionis, quod ex eodem Concilio Toletano citatur à Burchardo & Ivone.

Sirmondus in capite tertio Antirrhethici secundi adversus Aurelium ait ita scribendum esse in fronte istius capituli: *Vnde Urbanus Papa II. Piboni Tullensi Episcopo scribens ait.* extare enim caput illud in epistola Urbani ad Pibonem MS. Correctores verò Romani admonent in margine sumptum esse ex Concilio Melphienfi, ubi extat iisdem omnino verbis quibus legitur apud Gratianum. Quare si quid mutandum aut addendum esset in inscriptione istius capituli, mallem apponere nomen Concilij Melphienfis quàm Pibonis. Probabile enim est notius Gratiano fuisse Concilium Melphienfe Urbani secundi quàm epistolam ab eodem scriptam ad Pibonem Episcopum Tullensem. Porrò epistola illa edita est nuper in tomo decimo Conciliorum.

Certum & constans est nullum Urbani secundi pontificatu Turonensem Archiepiscopum fuisse Bartholomæum. Et tamen Gratianus tum in manuscriptis tum in editis codicibus caput de quo nunc agimus refert ex epistola ejusdem Urbani ad Bartholomæum Archiepiscopum Turonensem. Neque reponi potest errorem esse librarij. Nam Innocentius III. adferens istam auctoritatem in capite *Innotuit.* de elect. & electi potestate, cuncta refert ad Urbanum prædecessorem suum, quia nimirum ita legerat in codice Gratiani. Fons istius mali est Ivo Carnotensis Episcopus, qui parte 6. Decreti cap. 410. caput primum istius distinctionis describens, hæc in titulo posuit: *Decre-*

G g

Di. 54. c. 6.
De fervorum.

Di. 56. c. 1.
Presbyterorum.

Di. 56. c. 13.
Cenoman.

sum Gregorij VII. & Urbani II. Presbyterorum filius &c. In Pannormia verò lib. 3. cap. 51. Decreta Gregorij VII. & Urbani II. de filiis sacerdotum. Presbyterorum filios &c. Sequitur deinde in Pannormia: Ex libro Pontificatus. Felix tertius &c. Deinde: Urbanus Archiepiscopo Bartholomao Turonensi. Cenomanensem electum &c. Sic in editionibus Pannormiæ. At in vetustissimo & optimo codice sancti Victoris Parisiensis nomen Urbani omissum est in hoc loco, ubi ita simpliciter legitur: Bartholomao Turonensi Archiepiscopo. Cenomanensem. Post quæ sequitur in eodem codice: Urbanus II. Petroni Legionensi Episcopo. Quia simpliciter ad sedem apostolicam veniens &c. ut apud Gratianum. Itaque res ita constitui potest, decretum de Episcopo Legionensi verè esse Urbani, aliud esse Gregorij septimi. Nam avo Gregorij Bartholomæus tenuit cathedram Turonensem, Cenomanensem verò Arnaldus, quem tradunt filium fuisse sacerdotis. Ad eum porrò scripta est epistola 27. libri 7. ejusdem Gregorij.

Di. 59. c. 2.
Si officia.

Inscriptio istius capituli hæc est in libro Sangermanensi: Vnde Zozimus Papa. In regio verò: Vnde Zosinus Papa. In Victorino antiquiore: Vnde Gelasius Papa. Sed postea emendatum est à manu aliquanto recentiore, & supra lineam scriptum nomen Urbani. Recentior Victorius & Colbertinus & duæ antiquæ editiones habent: Item Urbanus Papa. Esse Zozimi in epistola ad Isichium Episcopum Salonitanum rectè adnotarunt Correctores Romani.

QUÆRUNT] Describenda heic mihi videtur observatio Caroli Molinæ ad hunc locum. Insedebant enim (Episcopi nimirum) comitati suis sacerdotibus. Sed hodie habent aliud satellitium. Et tamen multitudinem faciunt propter quæstum; ut ille qui cupiens mille aureos, publicatis ordinibus fecit mille sacerdotes pro singulis aureis in Lemovicis. Scio Molinæ de ista avaritia & turpi quæstu queri potuisse si nostro seculo scripsisset.

Di. 63. c. 12.
Nosse.

In omnibus Gratiani libris antiquis & editionibus caput istud refertur ex epistola Stephani Papæ ad Romanum Archiepiscopum Ravennatem. quo etiam

modo legitur apud Anselmum Lucensem lib. 6. cap. 30. in codice Sangermanensi. Quod referendum esse ad Stephanum quintum scribit Hieronymus Rubeus in libro quinto historiæ Ravennarum.

Scio ista ferme ad verbum sumpta esse ex libro pontificali in vita Hadriani secundi, cujus auctor vulgò creditur Guillelmus Bibliothecarius. Attamen in eadem sententia persto quam prompsi in Notis ad Agobardum pag. 126. nimirum sublestæ ac valde dubiæ fidei apud me esse narrationem istam. Quod confirmari potest auctoritate Eutropij Presbyteri Longobardi, qui ait Karolum Calvum, ut Ioanni VIII. ac ceteris Romanis gratiam rependeret ob imperium Romanum in eum collatum, abdicasse jus quod hætenus Imperatores habuerant prohibendi ne electiones Romanorum Pontificum valerent quæ citra præsentiam Missorum Imperatoris aut sine consensu ejus factæ essent: *Removit etiam ab eis regias legationes, assiduitatem vel præsentiam apostolica electionis.* Quod evincit jus illud maximè viguisse eo tempore quo Hadrianus secundus electus est.

Carolus Molinæus in Notis ad hunc locum putat hanc concessionem æquè falsam esse ac illam quæ sub Constantini nomine circumfertur. Rectè, ut opinor.

Idem Molinæus ait paleam hanc verè confictam esse; quia Henricus dictus Auceps nullum unquam negotium habuit cum Papis; & tantum abest ut Ortho primus ejus filius hæc jura abjudicaverit ut ea renovaverit, ut omnes chronographi testantur.

Sumptum est istud caput ex capite 84. libri primi Capitularium, ubi tam in editionibus quàm in codicibus manuscriptis legitur *suo liberius potiretur honore*, quo etiam modò legitur in Chronico Reicherspergenfi. In uno tamen antiquissimo codice bibliothecæ Colbertinæ sic habetur: *suo jure liberius potiretur*. Porrò jam antea ad Concilia Galliæ Narbonensis pag. 34. adnotavimus eam legem non fuisse observatam ac nihilo minùs Reges nostros dedisse episcopatus in universum; si paucas quasdam Ecclesias excipias, quibus speciali privilegio concessum erat ut illis vacantibus provideretur per electionem. No-

G g ij

Di. 63. c. 29.
Cum Hadrianus.

Di. 63. c. 30.
Ego Ludovicus.

Di. 63. c. 32.
Constitutio.

Di. 63. c. 34.
Sacrorum canonum.

tanda autem est hoc loco hallucinatio auctoris Chronici Reicherfpergensis, qui tempus istius constitutionis refert ad annum DCCCXLIX. conditamque fuisse ait à Karolo Calvo & Ludovico Rege Germaniæ fratribus Lotharij Imperatoris. Hæc sunt ejus verba. *His temporibus Carolus & Ludovicus gloriosi Reges, fratres hujus Lotharij Imperatoris, in primo libro Capitulorum suorum statuerunt Romana Ecclesia dicentes. Sacrorum canonum non ignari &c.* ut apud Gratianum. Errat, inquam. Primùm enim constat capitulum istud esse ex libro primo Capitularium Karoli Magni & Ludovici Pij, qui de electione Episcoporum in universum intellexerunt, non verò coëtere voluerunt ad electionem Romani Pontificis. Deinde electio istius nullatenus pendebat à Karolo Calvo aut Ludovico fratre ejus, qui Reges Italiae non erant. Itaque frustra legem edidissent de electione Romani Pontificis.

SEPT. CAP. NICENI] Regius Gratiani codex & Sangermanensis itémque recentior Victorinus legunt *septimo Concilio Nicensi*. Colbertinus *septimo Concilio Nicano*. Ita etiam Demochares & Contius. Antiqua editio Moguntina, VII. *Niceni Concilio*. Vetus codex Victorinus, *septimi Nicani Concilij*. Legendum, in *Septimunicensi Concilio*, ut pridem monuit vir doctissimus Petrus Pithæus in præfatione ad Breviationes canonum Fulgentij Ferrandi & Crisconij. Hanc emendationem amplectitur Cujacius ad caput primum de cohabitatione Clericor. & mulier. in Decretalibus, nescio an ex conjectura, seu quia acceperat à Pithæo. Ceterùm nemini tribuit hanc emendationem. Respexit ergo Gratianus ad caput undecimum Breviationis Ferrandi, quod his verbis conceptum est: *Vt ad eligendum Episcopum sufficiat matricis arbitrium. Concilio Septimunicensi. Concilio Macrianiensi*. Pro eo igitur quod Gratianus mox habet & in *Gangrensi* legendum est *Macrianiensi*, ut admonent Pithæus & Cujacius, & patet ex Ferrando. Nam & in regio Gratiani codice & in antiquiore Victorino legitur & in *Aganensi*. in qua voce conspiciuntur vestigia aliqua bonæ lectionis. Ceterùm hanc

emendationem secuti sunt viri clarissimi Petrus Franciscus Chiffletius in Notis ad Ferrandum pag. 282. & Franciscus Florens in Decretales pag. 136.

Palea ista reperta non est in antiquis Gratiani exemplaribus regio, Sangermanensi, Victorino antiquiore, neque in Colbertino. Extat tamen in recentiore Victorino *ex Concilio Aurasico cap. xx.* Ceterum is qui canonem illum posuit in Decreto Gratiani, seu is Gratianus fuit, seu alius quispiam, non accepit ex Concilio ipso, sed ex Burchardo, ubi extat lib. 1. cap. 30. Hinc ergo emendandum erat istud caput.

In regio Gratiani libro titulus istius capituli hic est: *De his ita scribit Leo omnibus Episcopis.* Sangermanensis addit, & *Presbyteris.* Antiquior Victorinus: *De his autem scribit Leo Episcopus omnibus Episcopis.* Recentior: *De hiis ita scribit beatus Leo Episcopus omnibus Episcopis & Presbyteris.* Antiqua editio Moguntina: *De hiis ita scribit Leo Episcopus omnibus Episcopis & Presbyteris.* Voces & *Presbyteris* non extant in veteri editione Veneta neque in editionibus Democharis & Contij. Cetera similia sunt, Romana autem sic habet: *De his ita scribit Leo I. ad Episcopos Germania & Gallia epist. 86. aliàs 88.* Verba sunt Correctorum, non verò Gratiani, licet in contextu posita sint. In vetustissimo codice MS. bibliothecæ regie, in quo collectio Dionysij Exigui continetur, posita est ante collectionem ipsam hæc epistola Leonis cum hac inscriptione: *Epistola Leonis Papa de privilegio Chorepiscoporum sive Presbyterorum ad universos Germania & Eurupa atque Gallia Ecclesiarum Episcopos.* Extat sanè inter epistolas sancti Leonis epistola quædam adversus Chorepiscopos Germaniarum atque Galliarum. Verum ea non est sancti Leonis; & scriptam esse ævo Karoli Magni & Ludovici Pij, cum maximè incaluit quæstio de Chorepiscopis, manifestum fiet ex textu epistolæ & ex libris Capitularium collectis à Benedicto Levita, si quis ea comparare invicem velit. Idem dicendum de epistolis Damasi & Ioannis III. eandem ob causam scriptis. Inscriptio porrò epistolarum Leonis &

Di. 64. c. 3.
De abjectio-
ne.

Di 68. c. 4.
Quamvis.

Ioannis, quæ datæ dicuntur ad Episcopos Germaniarum ac Galliarum, quod fieri non potuit nisi a Karoli Magni ob unionem Ecclesiæ Gallicanæ & Germanicæ, hæc inquam inscriptio satis ostendit compositas illas fuisse sub finem octavi seculi. Idem dici potest de epistola nona Pelagij secundi, ut pluribus dicetur ad caput *Invenimus*. 71. De Consecrat. dist. 1.

Di. 68. c. 5.
Chorepiscopi.

Sumptum est caput istud ex epistola Damasi ad Episcopos Africæ, quam in capite superiori diximus esse supposititiam.

Di. 71. c. 5.
Fraternitatem.

CARDINANDUM] Admonent Correctores Romani scriptum heic antea fuisse *ordinandum*, & emendatum esse ex ipsa epistola sancti Gregorij ex qua sumptum est hoc caput. In regio Gratiani codice scriptum est *ordinandum*, sed postea superscriptum antiquitus *cardinandum*. Colbertinus & Sangermanensis habent *ordinandum*. Antiquior Victorinus legit *cardinandum*. Sed superscriptum est *ordinandum*. Recentior *ordinandum*. Sic etiam antiquæ editiones Moguntina & Veneta. Anselmus lib. 7. cap. 70. in codice sancti Germani *cardinandum*. Adnotant hoc loco Correctores Romani vocem *cardinare* ita videri beatum Gregorium accepisse ut canonicam translationem significet. Sed pace eruditissimorum virorum dictum sit, *cardinare* seu *incardinare* significat simpliciter addicere Clericum certæ Ecclesiæ tanquam illic constitutum in cardine. id quod manifestum est vel ex locis quos ipsi indicant ex sancto Gregorio. Vide porrò Florentem ad titulum Decretalium de translatione Episcopi pag. 266.

Di. 73.

GRÆCA ELEMENTA] Ista Gratianus sumpsit, ut opinor, ex Ivone parte 6. Decreti cap. 433. Ivo verò acceperat ex Reginone lib. 1. cap. 437. Unde colligitur verissimum esse quod antea præfati sumus ad Reginonem, nimirum Ivonem collectione Reginonis usum esse. Fons istarum rerum epistola quæ Attici Episcopi Constantinopolitani nomine circumfertur. Dubitaverat olim de ejus auctoritate illusterrimus Archiepiscopus Parisiensis Petrus de Marca. Verum, re postea meliùs perpensa, mutavit sententiam, eamque epistolam agnovit pro germano fœtu Attici.

Accipit Gratianus istud caput ex Burchardo, ut manifestum est. Burchardus autem acceperat ex libro primo Reginonis cap. 439. initium tantum mutans & finem epistolæ.

Di. 73. c. 1.
In nomine.

M X I I.] In codice Burchardi MS. apud Dionysium Talonium legitur: *Data Vvormatia Id. Martij anno dominica incarnationis, mense XII. Indictione x.* In Colbertino Gratiani libro & in antiqua editione Veneta: *Data Vvarmatia Idus Martij, anno dominica incarnationis millesimo II. mense XII. Indictione x.* In codice Sangermanensi: *Data Guarmarcia Idibus Marcij &c.* ut in editione Veneta. Prima editio Moguntina: *Data Guarmarcia Idus Marcij anno dom. incar. M. III. mense XII. Ind. x.* Verum Indictio decima rectè congruit cum anno incarnationis dominice millesimo duodecimo.

H O M I C I D I O] Duæ antiquitus, ut ad Reginonem monuimus, fuere istius canonis apostolici editiones, una in qua extabat clausula de homicidio, alia in qua deerat. Duravit autem duplex illa editio usque ad seculum Gratiani. Nam Anselmus vocem illam non habet, quæ tamen extat apud Ivonem par. 6. Decreti cap. 234. & apud Bernaldum Presbyterum Constantiensem in libro de vitanda excommunicatorum communione apud Tengnagelium pag. 254. De Nota porrò Correctorum Romanorum ad hunc locum diximus in Notis ad Agobardum pag. 121.

Di. 81. c. 12.
Presbyter.

Palea hæc in nullo veterum Gratiani librorum haberetur præterquam in recentiore Victorino, ubi referatur ex decreto Eugenij. Extat autem in capite xv. Concilij Romani sub Eugenio secundo. Cujacius ad caput primum de cohabit. Clericor. & mulier. in Decretalibus, ubi canon iste descriptus est, admonet in castioribus sive emendatioribus codicibus ita rectè legi: *Si quisquam Sacerdotum, Prebyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum.*

Di. 81. c. 22.
Si quispiam.

Sumptum est caput istud ex Concilio Carthaginiensi tertio. Vir clarissimus Petrus Franciscus Chiffletius in Notis ad Ferrandum pag. 298 pronuntiat sibi suspectum esse hunc canonem qua parte in Cleri-

Di. 81. c. 27.
Cum omnibus.

corum contubernium admittit etiam famulorum conjuges, immo & quascumque feminas quæ antè quàm clero ipsi addicerentur, in eorum domibus consuevissent. *Qua licentia*, inquit, *haud scio an excogitari quidquam potuit vel ad Clericorum famam vel ad conscientiam convulnerandam perniciosius*. Vide Reginonem lib. 1. cap. 82. & sequentibus.

Di. 83. c. 2.
Nemo.

Burchardus, Ivo, & Gratianus in vetustis codicibus & editionibus hunc locum referunt ex Augustino. Re autem vera est sancti Gregorij, ut optimè monent Correctores Romani. Mallem tamen ut iidem retinissent Augustini nomen in contextu Gratiani, emendationem verò posuissent in margine aut in Notis. Insignis est ad illustrandum hoc caput locus Hieronymi in caput octavum Ecclesiasticis, à nobis relatus ad librum septimum de concordia sacerdotij & imperij, dignus profectò qui heic quoque repetatur. *Possumus*, inquit, *hoc testimonium accipere adversus Episcopos, qui acceperunt in Ecclesia potestatem, & scandalizant eos magis quos docere & ad meliora debuerant incitare. Hi frequenter post mortem laudantur in Ecclesia, & beati in his qua non probabiliter fecerant publicè sive à successoribus sive à populis predicantur. Et hoc itaque vanum est, quia non ut egerunt sic audiunt, nec statim corripuntur in peccato suo. Nemo quippe audet accusare majorem. Propterea quasi sancti & beati & in preceptis Domini ambulantes augent peccata peccatis. Difficilis est accusatio in Episcopum. Si enim peccaverit, non creditur. Et si convictus fuerit, non punitur. Quia nimirum pro reverentia ordinis peccator honoratur, ut ait sanctus Gregorius in hoc capite. Manifesta porrò crimina in Episcopo vix accipere fidem rectè olim dixit Casiodorus lib. 1. Variar. epist. 9.*

Di. 84. c. 4.
Cum de quor.

Di. 28. c. 1.
Decrevit.

Est tantum epitome canonis Africani, qui extat integer apud Reginonem lib. 1. cap. 92.

Caput istud non esse Melchiadis rectè observarunt Correctores Romani; qui monuerunt acceptum illud esse ex scripto de primitiva Ecclesia & munificentia Constantini, quod in antiquis Conciliorum voluminibus consequenter sequitur post decreta Melchiadis.

DECREVIT S. SYNODUS] Priscis temporibus, cum nemo dubitaret de veritate & auctoritate eorum quæ apud Gratianum scripta sunt, dubium non erat quin caput istud verè esset Concilij quod habitum fuisset sub Melchiade Romano Pontifice. Itaque ea persuasione imbutus Gaufredus de Monte electo Abbas Lirinensis, qui Basileæ, quo tempore Concilium illic generale celebrabatur, scripsit tractatum de auctoritate Concilij generalis, ex hoc Gratiani loco collegit potestatem sive jus definiendi ac decernendi residere penes synodum, & non in solo Papa. Hæc sunt hominis verba: *Et est advertendum quod Papa non dicit ibi Decernimus sacro approbante Concilio, sed Decrevit sancta synodus, ad denotandum quod auctoritas diffinitiva residet penes synodum & non in solo Papa; sicut nec solus Papa facit Concilium, sed ipse cum aliis.* Tum explicans quomodo deinde factum sit ut in Conciliis ultimorum temporum Romani Pontifices decernere se dicant sacro approbante Concilio, ait: *Nec obstat quod in superscriptione dictorum capitulorum præponitur nomen Papa, & in pluribus locis dicitur sacro approbante Concilio: quia hoc factum fuit ex gratitudine Conciliorum ad honorandam sanctam Romanam Ecclesiam, quam Concilia generalia honorare consueverunt.* Dicere itaque videtur Abbas iste Romanos Pontifices non esse rerum dominos aut canonum conditores, ex alterutra porro & gratuita Conciliorum benevolentia in Ecclesiam Romanam descendisse honorem qui Romanis Pontificibus tributus est in synodis posteriorum temporum, in quibus Papæ decernere consueverunt sacro approbante Concilio. At si auctoritas diffinitiva, ut ille ait, ita penes synodum residet ut ad eam pertineat jus sancientium canonum, non verò ad Papam, quia is solus non facit Concilium, haud scio quonam modo conciliari Gaufredus possit cum Gratiano, qui 25. q. 1. sub finem apertis ac minime ambiguis verbis scribit Ecclesiam Romanam habere jus condendi canones, ita porro ipsam præstare canonibus auctoritatem ut se non subiciat eis, omnes verò canones vel à Romanis Pontificibus vel

ab aliis ex eorum auctoritate conditos fuisse. Multò minùs Gaufrèdo conveniet cum Alexandro à Turre Episcopo Sithiensi, qui in libro quinto de fulgenti radio ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 18. omnem Conciliorum auctoritatem & robur ponit in persona Romani Pontificis, adeo *ut celeberrima Concilij decreta nihil firmi, inquit, nihil sancti, nihil rati habeant nisi ab illo sacrorum principe sint approbata.* Hinc illud Ludovici Majorani in libro tertio de vero Dei cultu cap. 35. majorem esse Petri successorumque ejus auctoritatem quàm ecclesiasticæ congregationis, id est, Concilij generalis. Nolo persequi ceteras sententias hominum Italicorum, quorum major est è propinquo reverentia. Dicam tamen invenendam ab iis esse aliquam rationem qua Gallicanæ Ecclesiæ sententiam cum sua confocient ac conjungant, ut idem omnes, si fieri possit, sentiamus de auctoritate Conciliorum & Romani Pontificis. Hactenus enim Gallicanæ Ecclesiæ sententia & Italicorum ingeniorum opinio visæ sunt esse res dissociabiles, quantum attinet ad istam materiam. Sed antè quàm ab hoc capite discedam, illud quoque addam, extare alium ejusdem Abbatis tractatum de potestate Papæ & Concilij, itémque alium adversùs errores Bohemorum, utrumque Basileæ elucubratum. Hinc ergo illustrari poterit historia Abbatum celeberrimi & antiquissimi monasterij Lirinensis.

Di. 90. c. 2.
Oblationes.

Di. 91. c. 2.
Presbyter,

Vide Reginonem lib. 1. cap. 61. & lib. 2. cap. 375. & sequentibus. Vide etiam illic Notas nostras pag. 550.

Regino lib. 1. cap. 208. citat hoc caput ex Concilio Nannerensi, antiqua Gratiani editio Moguntina ex Concilio Navarcenti, Veneta ex Ananethensi, recentior Gratiani codex Victorinus ex Aurelianensi. In secunda collectione Decretalium lib. 5. tit. 22. & apud Gregorium IX. lib. 3. tit. 41. citatur ex Concilio Agathensi. Vtrobique malè. Est enim ex Capitulis Hincmari Remensis Archiepiscopi tit. 1. cap. 9. Hinc ergo corrigendi Gratianus & libri Decretalium. Ceterùm caput istud non extat in antiquis Gratiani exemplaribus regio, Colbertino, veteri Victorino,

PROPHEȚA] Regino lib. 1. cap. 185. citat ex decretis sancti Benedicti, Burchardus lib. 2. cap. 105. Ivo par. 6. Decreti cap. 182. & Gratianus ex dictis eiusdem. Est autem ex capite XVI. regulæ sancti Benedicti. Ceterum paragraphus iste non habetur in manuscriptis Gratiani codicibus in quibus deest prima pars capitis, id est, in regio, Colbertino, antiquiore Victorino. Quin & in codice sancti Germani Parisiensis, ubi extat caput *Presbyter &c.* ex Concilio Nannetensi, desiderantur quæ postea sequuntur in editionibus ex regula sancti Benedicti. Habentur tamen in recentiore Victorino.

Ibid. §.
Propheta.

SYNODUS PERFECTA] id est, cui interfuert metropolitanus antistes provinciæ. Neque necesse est addi vocem *etiam* post vocem *metropolitanus*, ut admonent Correctores Romani ad caput octavum istius distinctionis. Synodus porrò ista perfecta, quam plenariam vocat auctor antiquus qui scripsit tres libros de pœnitentia nuper in lucem emissos in tomo undecimo Spicilegij Dacheriani, valde diversa est à plenario totius Ecclesiæ Concilio de quo loquitur sanctus Augustinus. Vide porrò Notas ad Agobardum pag. 100.

Di. 92. c. 5.
Si quis.

In fine istius capitis hæc constans est lectio in omnibus Gratiani codicibus manuscriptis & editionibus: *noverit se laicis majorem, sacerdotibus esse minorem.* Unde colligi potest quantum valeat unius hominis auctoritas ad corrumpenda veterum scriptorum loca. Nam apud Hieronymum in epistola ad Evagrium, ex qua sumptum est hoc caput, legitur: *noverit se lucris minorem, sacerdotio esse majorem.* quo etiam modo legendum heic apud Gratianum esse ait Cujacius ad titulum Decretalium de Clericis non residentibus. Sic etiam habetur in collectione Anselmi Lucensis lib. 1. cap. 78. in codice sancti Germani de Pratis.

Di. 93. c. 244
Legimus.

Emendatio hæc istius loci Hieronymiani me admonet ut medicinam adferam alteri eiusdem auctoris loco, qui extat in libro sexto commentariorum in caput octavum & decimum Ezechielis. Hæc sunt verba Hieronymi: *Caveat ergo & uxor ne forte victa desiderio coivndi illicitat virum; & maritus, ne vim*

faciat uxori, putans omni tempore subjectam sibi debere esse conjugij voluptatem. Valde corruptus est iste locus, qui sic legendus est ex vetustissimo codice MS. monasterij Corbeiensis literis Saxonice ad miraculum scripto: *Caveat ergo & uxor ne forte victa desiderio coeundi celet virum; & maritus, ne vim faciat uxori, putans omni tempore subjectam sibi debere esse conjugij voluptatem.* Quo etiam modo legitur apud Ivonem parte 8. Decreti cap. 86. & par. 9. cap. 121. Quod indicat vocem *illiciat*, quæ in vulgaris editionibus posita est pro voce *celet*, esse novitiam suppositamque ab iis qui pudicitia cupidine & amore ducti, neque satis forsitan intelligentes Hieronymum, indecorum putabant & à verecundia muliebris valde alienum si uxor à marito peteret debitum conjugale. Vult ergo Hieronymus ut si forte uxorem titillaverit appetitio venereæ voluptatis, marito significet. Prohibet autem ne maritus tyrannum agat, hoc est, ne putet sic subjectam sibi esse debere uxorem ut non ei debitum reddere debeat cum ipsa petit, sed eum marito collibuerit; tanquam initium & arbitrium capiundæ voluptatis semper debeat esse penes virum, nunquam penes uxorem. Nam & Apostolus Paulus dixerat virum sui corporis potestatem non habere, sed mulierem, admonens illos ne invicem fraudarent.

Di. 95. c. 4.
Presbyteri.

OMNI ANNO] Fatendum est hæc verba reperiri in omnibus Gratiani exemplaribus manuscriptis & editis. Admonent tamen Correctores Romani ea desiderari in aliquot Conciliorum editionibus. Ego puto simpliciter mendum heic esse, & pro omni anno legendum *omnino*. Vide Notas ad Reginonem pag. 553.

Di. 100. c. 11.
Scriptorum.

NICOMEDIANÆ] Sic omnino habent antiqua Gratiani exemplaria manuscripta & antiquæ editiones, tum etiam Demochares, Contiùs, & Correctores Romani. Apud sanctum Gregorium lib. 5. Indict. 14. epist. 7. ex qua sumptum est hoc caput legitur *Nicomeditana*. Attamen ego contendo locum hunc esse corruptum, & pro *Nicomeditana* vel *Nicomeditana* legendum esse *Nicopolitana*. Primum enim ea

epistola scripta dicitur ad Episcopos Epiri; quorum Metropolitanus non erat Nicomeditanus Episcopus, qui nullus fuit, sed Nicopolitanus, ut cuius manifestum est. Deinde apud sanctum Gregorium lib. 7. Indict. 1. epist. 11. & Indict. 2. epist. 90. reperimus mentionem fieri Andreæ Episcopi Nicopolitani, huius nimirum ipsius de quo ad Gregorium retulerant Episcopi Epirotæ. Vnde patet certam esse emendationem, uti dictum est in libro quinto de concordia sacerdotij & imperij cap. 25. §. 10. Ceterum ne quis putare possit vitio typographorum factum esse ut prava illa lectio irrepsit in epistolas sancti Gregorij prohibet auctoritas veterum Gratiani codicum omnium typographica antiquiorum, tum etiam vetus codex epistolarum sancti Gregorij manuscriptus in Bibliotheca regia, ubi Episcopus ille vocatur Nicomeditanus.

NEOPHYTOR. HÆR.] Ivo parte 2. Decreti cap. 84. refert epistolam Paschalis Papæ, in qua istud ipsum refertur ex beato Gregorio, apud quem non exulare admonent Correctores Romani, qui putant hęc agi de Paschale secundo. Attamen Goffridus Abbas Vindocinensis ad Urbanum secundum scribens lib. 1. epist. 1. istius epistolæ Paschalis mentionem facit. Vnde certò colligitur illam non posse esse secundi Paschalis, ut rectè illic monuit Sirmondus. *Nuper canones relegens, inquit, quandam sententiam inveni qua Paschali Papa inscribitur, ubi neophytum factum episcopum hæreticum vocat, & sicut simoniacum, ita neophytum à sancta Ecclesia debere separari docet præcipit.* Infra eadem causa quæst. 3. cap. 7. *Si quis obijecerit extat aliud fragmentum ejusdem epistolæ Paschalis, ubi rectè adnotant iidem Correctores Romani auctorem huius capituli ac totius illius epistolæ esse Paschalem primum.*

Correctores Romani non indicaverunt fontem istius capituli. Viderur autem compositum ex responso XIII. Stephani secundi Papæ, quod sic habet. *De illo Presbytero qui baptizavit, tamen nec symbolum nec orationem dominicam nec psalmos tenet, nec scit si Episcopus eum benedixit, hic primum omnium dignitatem*

I. q. 1. c. 5.
Quisquis.

I. q. 1. c. 59.
Si quis.

qua illicita uti præsumpsit amittens, sub districta pœnitentia, & in monasterium mittatur, & omnibus diebus vita sua plangens quod incongruè egit, degat vita monastica. Infantes verò quos baptizavit, si in nomine sanctæ Trinitatis baptizati sunt, in eo permaneant baptismo. Paulò aliter habet hoc responsum in antiqua collectione canonum Andegavenfi MS. ubi tribuitur Papæ Siricio. Presbyter qui orationem dominicam non tenet, nec symbolum, neque psalmos, si Episcopus fuit qui eum benedixit, hic primum omnium dignitatem quam illicitè præsumpsit amittat, & sub districta pœnitentia omni tempore vita sua in monasterio degat. Infantes verò quos in sancta Trinitate baptizavit, baptizati permaneant. Rectius heic legitur si Episcopus fuit qui eum benedixit quàm apud Sirmondum si Episcopus eum benedixit. Nam quia multi per eas tempestates falsi Episcopi erant, præcipuè Scoti, fieri poterat ut Presbyteri nescirent utrum verè Episcopi essent illi qui eos ordinaverant Presbyteros. Ceterum ignorare non poterant sibi manus impositas esse ab Episcopo. Ex isto porrò responso formatum postea est caput nonum Concilij Compendiensis sub Pippino, quod descriptum reperitur in capite quarto libri quinti Capitularium. Puto enim pro eo quod illic legitur *sicut Sergius Papa dixit* legendum esse *sicut Stephanus Papa dixit*. Rectè autem in Concilio Compendiensi editum est *Georgius* pro eo quod editiones Capitularium habent *Gregorius*. Georgij quippe nomen hoc loco extat in omnibus antiquis libris Capitularium.

129. 1. c. 79.
Prophetavit.

1. q. 1. c. 105.
Dicitur est.

NON ERGO SE IACTENT] Vide Notas ad librum Agobardi de privilegio & jure de sacerdotij cap. cxi.

Primus hunc canonem Triburiensem protulit Regino lib. 1. cap. 127. ex quo deinde Burchardus accepit. Verba autem illa *vel pro balsamo*, quæ superflua videntur, non extant apud Reginonem. Balsamum enim & chrisma synonyma sunt in hoc loco, ut patet ex capite quarto Concilij Bracharensis secundi 1. q. 1. c. 102. *Placuit ut nullus*. Item vox *statuit* neque in collectione Reginonis reperitur neque in De-

creto Burchardi. Pro eo autem quod Gratianus & Burchardus in fine capituli habent *gratuita dispensatione donentur*, Regino legit *gratuita dispensentur*.

Decretum istud ab Urbano primùm fuit in Concilio Placentino, dein repetitum in Claromontano. Refert interpretaturque hunc canonem Eckbertus Bannensis Canonicus in sermone decimo adversus Catharos. Vide infra 9. q. 1. c. 5. *Ordinationes*.

Meliùs habetur istud caput apud Reginonem lib. 1. cap. 23. Vide porrò illic Notas nostras.

Palea ista non extat in antiquis Gratiani exemplaribus regio, Sangermanensi, & vetere Victorino. Habetur tamen in alio Victorino & in Colbertino, item in antiquis editionibus Moguntina & Veneta, & in editione Democharis. Contij editio primam illius partem tribuit Urbano Papæ, secundam Gregorio. Et post hæc verba, *occasione presumat*, addit: *Greg. in registro. Regulam antiquam &c.* Rectè. Nam prima pars sumpta est ex Concilio Placentino Urbani secundi, altera ex regesto sancti Gregorij. Notavit autem Antonius Augustinus in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 5. tit. 2. cap. 1. verba sancti Gregorij mendosè apud Gratianum conjuncta esse cum verbis Urbani. Ceterùm istum Gregorij locum luculenter explicat Marca in libro sexto de concordia cap. 10.

Caput istud plurima cura indiget, ob temeritatem præcipuè Goffridi Abbatis Vindocinensis, quam postea explicabimus. Non reperiatur illud ante hoc decennium inter vulgatos canones Claromontani Concilij. Quo factum est ut nonnulli viri eruditissimi, qui non animadvertent extare apud Gratianum, pronuntiaverint constitutionem illam, cujus mentio alibi supererat, hodie desiderari. Deinde Iacobus Sirmondus vir diligentissimus, cum decretum istud invenisset inter canones synodi Nemausensis, admonuit corrigendam esse inscriptionem ejus apud Gratianum, proque Concilio Aruernensi reponendum esse Nemausense, ut diximus supra in Notis ad Antonium Augustinum pag. 429. Tandem anno MDCLXIII. restitutus est hic canon Aruernensi

1. q. 1. c. 108.
Siqui.

1. q. 2. c. 1.
Placuit.

1. q. 2. c. 3.
Nullus.

1. q. 3. c. 4.
Quæsitum.

Concilio, simulque admonitum repetitum illum fuisse in synodo apud Nemausum celebrata anno sequenti post Claromontanam. Quæ causa errandi Sirmondo fuit. Sic ergo habet initium istius capituli, *Questum est etiam de Episcopis qui altaria monasterius data frequenter redimi pecunia compellebant. Decretum itaque est. Quoniam quidam simoniaca pravitatis &c.* Concilium Nemausense can. 1. In *Aruernensi Concilio questum est de Episcopis qui altaria &c.* Duæ omnino istius Claromontani canonis editiones antiquitus fuerè, una omnium generalis & ubique recepta, altera monasterij Vindocinensis. Generalis habet ubique hanc clausulam: *Salvo utique Episcoporum censu annuo quem ex eisdem altaribus habere soliti sunt.* Vindocinensis autem editio non habuit clausulam illam. Quod probatur primò ex Chartulario illius monasterij, in quo canon ille descriptus est absque ea clausula, tum etiam ex epistola Paschalis secundi ad Ivonem Episcopum Carnotensem & Rannulfum Sanctonensem, quam decurtatam in hoc loco exhibet idem Chartularium, unde edita est bona fide à Sirmondo. Sic visum Goffrido negare audacter Urbanum secundum præcepisse ut Episcopi annum censum haberent à monachis & expungere clausulam illam è canone Claromontano. Hæc sunt ejus verba ad Ulgerium Episcopum Andegavensem lib. 3. epist. 12. *Annuntiastis, ut dicitur, Presbyteris vestris & Personis Ecclesie vestre quòd Dominus Pater Urbanus in Aruernensi Concilio præceperat ut Episcopi annum censum habeant à monachis pro redemptione altarium. Bene novit prudentia vestra non esse bonum, quod apostolica sinceritate disponitur, per contrarium predicare. Bone Domine, vos illi non adfuitis Concilio, & ego interfui, qui hujus rei cognosco veritatem &c.* Negavit itaque verum esse quod verè affirmabat Ulgerius. Fraudem verò manifestam heic fecit cum censum illum annum interpretatus est de censu pro redemptione altarium, verba hæc perperam inferens decreto synodico. Nam Urbanus prohibens illam altarium redemptionem, quæ aliquid admixtum habebat simoniacæ pravitatis, conservaverat tamen

Episcopis

Episcopis jus percipiendi censum annuum quem ex eisdem altaribus habere soliti erant. Qui census multum diversus erat à pensitatione quam Episcopi exhibent in mutatione personarum. Sed Goffridus putavit ista invicem permiscenda & conturbanda esse ut facilius se monasteriumque suum tueri posset adversus Vlgereum. Hæc itaque fuit editio monasterij Vindocinensis. Aliam exhibent primò codex Aniatensis canonum Claromontani Concilij à nobis editorum, antiquæ membranæ monasterij sancti Albini Andegavenfis, epistola Paschalis secundi ad Ivonem edita ex membranis ejusdem monasterij, denique omnia Gratiani exemplaria manuscripta & omnes editiones. Denique hanc clausulam verè additam canonis Claromontano fuisse ab Urbano colligitur ex epistola ejus de privilegiis monasterij sancti Bertini in Sitchiu, cujus hoc fragmentum refertur in literis Gerardi Episcopi Morinorum descriptis in duobus antiquis Chartulariis ejusdem monasterij. Hæc sunt Urbani verba: *Quacunque altaria vel decimas ab antecessoribus vestris possessisse cognoscitur, quietè deinceps & sine molestia qualibet vestris successoribusque vestris possidenda firmamus. Saltem utique censu Episcopi annuo quem ex eis hætenus percipiunt.* Vnde colligitur falli virum eruditissimum Antonium Dadinum Alteserram, qui lib. 4. dissertationum juris canonici cap. 8. cum retulisset integram locum ex epistola Goffridi ad Vlgereum, nimirum Goffrido credens, pronuntiat dubitandum non esse post testimonium Goffridi quin postrema illa verba quæ leguntur in calce capituli *Quæsitum ad prædicta canonis fuerint commento Episcoporum, qui peccandi titulum & auctoritatem quærebant.* Mox præterea, ut opinionem suam confirmet, affert nonnulla decreta posteriorum temporum quæ venditionem prioratum & redemptionem Ecclesiarum prohibent. Verùm istud multum diversum est à clausula quam Alteserra putat adjectam canonis Claromontani. Canon enim verat altarium redemptionem ac venditionem, sed confirmat possessionem in qua Episcopi erant percipiendi ex eis censum annuum, id est,

censum synodalem, ut alibi diximus. Atque hanc interpretationem esse justissimam alibi pluribus ostendimus, Deo juvante. Vide interim additionem nostram ad caput primum & trigesimum libri sexti de concordia sacerdotij & imperij.

1. q. 3. c. 5.
Ea quæ

Hoc caput in vetustis Gratiani exemplaribus regio, Sangermanensi, Colbertino, & in antiqua editione Veneta, hanc habet inscriptionem: *Idem Gregorius*. In duobus autem Victorinis & in prima editione Moguntina: *Idem*. quod meliùs est. Habetur enim in Concilio Placentino Urbani II. itémque in Claromontano.

1. q. 4. c. 10.
Non imputan-
tur,

Post vocem *plectendi*, in qua terminatur hoc caput in editione Romana, omnes antiqui libri & editiones conjungunt verba quæ sequuntur, *Officio autem*. Antonius quoque Contius, qui solet in margine distinguere verba Gratiani à verbis canonum aliorumve locorum ab illo relatorum, Gratiani propterea nomen in margine apponens majusculis characteribus exaratum, nihil heic scripsit donec perventum est ad initium capitis sequentis, ubi sic legitur in margine: GRATIAN. Meliùs Correctores Romani, qui capitis istius nostri finem, uti diximus, constituerunt in verbo *plectendi*, sequentia retulerunt ad Gratianum. Sunt enim re vera Gratiani verba. Interpretatur porrò hunc locum vir doctissimus Didacus Covarruvias lib. 2. variar. resolut. cap. 8. §. 6.

1. q. 5. c. 1.
Quicumque.

Ista in antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus citantur simpliciter ex Urbano, etiam apud Democharem & Contium. Postea Correctores Romani hæc addiderunt in contextu Gratiani: *In Concilio Placentino cap. 5. & sequentibus, itémque in Concilio Romano*. Optima admonitio. Sed tamen ponenda illa non erat in textu, sed in Notis. Extant porrò hæc constitutiones etiam inter canones Claromontanos à nobis editos ex veteri codice MS. illustrissimi viri Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis.

1. q. 5. c. 2.
Eos qui,

Fragmentum est epistolæ Urbani secundi ad Vitalem Presbyterum, cujus alia duo fragmenta extant infra 30. q. 3. c. 4. & q. 4. c. 6. Habetur autem integra in veteri codice MS. monasterij Rivipullensis,

Ejus initium est: *Vrbanus II. Vitali Presbytero Brixienfi. Super quibus &c.* Deinde: *Quòd autem uxor &c.* Denique: *Porrò eos qui &c.* ut in hoc capite. Scripta est, ut diximus, ad Vitalem Presbyterum. Sed quis fuerit ille Vitalis, dubium faciunt antiqui codices manuscripti. Heic apud Gratianum simpliciter vocatur Presbyter, absque titulo. Sed Correctores Romani admonent in libro manuscripto decretorum Pontificum citari ex Nicolao ad Vitalem Presbyterum Pruvientem. Quod malè est, cum sit ex epistola Urbani secundi. Caput *Super quibus* ita inscribitur: *Vnde Vrbanus scribit Vitali Presbytero Brixienfi.* Inscriptio verò capitis *Quòd autem* ita habet: *De his ita scribit Vrbanus II. Vitali Presbytero Brixia.* Atque ita omnino legitur in antiquis codicibus regio & Sangermanensi. In optimo tamen & vetustissimo codice monasterij Rivipullensis, qui scriptus est ævo Paschalis secundi, capita illa constanter inscribuntur Vitali Presbytero Brivensi. Quo etiam modo legitur in vetustissima collectione canonum MS. quæ fuit Claudij Puteani. Animus itaque olim fuerat eam epistolam intelligere scriptam fuisse ad Vitalem Presbyterum Brivensem in finibus Lemovicum. Verùm antiquus auctor vitæ Anselmi Episcopi Lucensis à Sebastiano Tengnagelio editus mentionem facit cujusdam Vitalis Presbyteri Brixienfis hoc ipso tempore viventis. Hæc sunt ejus verba: *Aliud quoque miraculum, quod confratre Vitali Brixienfi Ecclesie Presbytero, religiosa vitæ viro, aliisque pluribus referentibus didici &c.* Ea auctoritate permoveor ut credam veram esse lectionem quæ docet epistolam scriptam esse ad Vitalem Presbyterum Brivensem, tamenetsi libri optimi manuscripti nomen habeant Vitalis Presbyteri Brivensis. Videndum autem erit an caput *Consuluit*, quod extat in titulo Decretalium de usuris, quòdque in prima collectione Decretalium lib. 5. tit. 15. cap. 12. dicitur esse Urbani III. ad Brixiensem Presbyterum, restituendum sit Urbano secundo. Nam Antonius Augustinus illic admonet Presbytero Brixienfi inscriptum illud esse in tribus libris Tarraconensibus, licèt hanc inscrip-

1. q. 5. c. 3.
Fræsentium.

In veteri codice Rivipullensi legitur *cuidam principum eius oblatam*, pro eo quod Gratianus habet *datam*. Infrà in eodem libro sic habetur: *liceat eum ex concessione Episcopi sui fratrumque &c.*

1. q. 7. c. 3.
Cavendum.

Palea ista non extat in manuscriptis Gratiani codicibus regio, Sangermanensi, & vetere Victorino. Habetur tamen in recentiore Victorino & in Colbertino, tum etiam in antiquis editionibus Moguntina & Veneta. Vide Reginonem lib. 1. cap. 238.

1. q. 7. c. 22.
Si quis Episcopus.

In antiqua collectione canonum Lugdunensi lemma istud appositum est huic canoni. EXCERPTA MARTINI. *Si quislibet Clericus aut laicus pro herese fuerit excommunicatus, libellum fidei sua det, ut opinionem heresis purget.* Canon verò ita habet: *Si quis Episcopus, sive laicus, Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, in aliquibus Ecclesia opinione offenderit &c.*

1. q. 7. c. 24.
Daibertum.

In Pannormia edita Lovanij sic inscriptum est caput istud: *Urbanus 2. à Petro Pistoriensi Episcopo & Rustico Vallis Umbrosæ Abbati.* In Basileensi verò & in codice Victorino: *VII. à Petro Pystorensi Episcopo & Rustico Vallis umbrosæ.* Melior est haud dubiè lectio Lovaniensis editionis. Error hinc ortus, opinor, in codice MS. quòd in codice quo librarius ille utebatur, ita haud dubiè scriptum erat, *V. II.* ex quo effectum est *VII.* Legendum itaque: *Urbanus II. Petro &c.* Rursum in codice Victorino initium capituli est istiusmodi: *Daibertum à Guczone &c.* Et infrà: *Negzelon hereticus constat ab heret. ordinatus, quia nihil habuit, dare nil potuit cui manus imposuit.* Mox: *necessitate ingruente Diaconem.*

2. q. 1. c. 7.
In primis.

In antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus legitur simpliciter: *Item Gregorius Iohanni Defensori eunti in Hispaniam.* Sed quia Demochares & Contius in margine editionum suarum admonuerant caput istud sumptum esse ex epistola 50. lib. II. epistolarum sancti Gregorij, Correctoribus Romanis placuit ista addere in contextu Gratiani: *libro undecimo, epistola 50.* Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 3. tit. 13. cap. 3.

Caput istud sumptum est ex prima actione Concilij secundi Sueffionensis. Refertur autem in prima appendice Reginonis cap. 22. In regio Gratiani codice sic malè inscriptum est: *Item Melciadas Papa*. Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 2. tit. 3. & Cujacium ad titulum Decretalium de libelli oblatione cap. 1.

GIRARDO] Codex Sangermanensis *Arardo*, Victorinus antiquior *Airardo*, Colbertinus *Ayrardo*, recentior Victorinus *Archaldo*. Nulla istarum lectionum bona est. *Airardo* tamen mallem quàm *Girardo*. Nam tum Herardus erat Archiepiscopus Turonensis, cujus extant capitula cxi. excerpta ex corpore canonum. Chronicon Malleacense in veteri codice MS. Ioannis Beslyi viri clarissimi: *Domnus Herardus ordinatus est Turonensium Archiepiscopus anno DCCCLVIII. Hic generali synodo in civitate Turonica habita quadam necessaria sanctorum canonum capitula excerpserit, quæ firmis custodienda sanxit, xvii. Kal. Iunij*. Herardi itaque nomen rependum est in fronte istius capituli, quemadmodum factum à Sirmondo est. Flodoardus lib. 3. hist. Remens. cap. 21. loquens de variis Hincmari epistolis ad Episcopos scriptis: *Herardo Turonensium antistiti, de quibusdam apostatis ad Ecclesiam redeuntibus & aliis pœnitentibus suscipiendis*.

Capituli istius inscriptio sic habet in antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus, etiam in illis quæ à Demochare & Contio procuratæ sunt: *Item ex eodem ad Brunichildam Reginam Francorum capit. cxxxii*. Vnde patet Gratianum accepisse ex Burchardo, apud quem lib. 1. cap. 196. sic omnino legitur in codice Talonico. Antiquissimæ epistolatum sancti Papæ Gregorij collectiones manuscriptæ divisæ in libros non sunt, sed consequentibus numeris descriptæ. Ut mirandum non sit si Burchardus aliter numeravit quàm nos hodie solemus. Non utar ampliori probatione. Adferam tantùm titulum antiquissimi & optimi libri manuscripti bibliothecæ regię, in quo sic legitur: *In hoc codice continentur epistole beati Gregorij Papæ numero cxciii*. Correcto-

Hh iij

2. q. 1. c. 9;
Legum.2. q. 1. c. 10.
Notum,2. q. 5. c. 7.
Mennam.

res Romani, quibus inscriptio istius capitis haud dubiè videbatur obscurior & difficilior quàm expeditè studiosis rei canonicæ, liberè pro more suo eraserunt postrema Gratiani verba, & pro illis ista substituerunt, *lib. II. epist. 8.* Sic turbarunt fontes ex quibus sua Gratianus accepit. Mennæ porrò Episcopo, de cuius causa heic agitur, inscripta est epistola quinquagesima secunda libri noni ejusdem Gregorij, ubi dicitur fuisse Episcopus Tolosanus in omnibus editionibus. In vetustissimo tamen epistolarum sancti Gregorij codice MS. bibliothecæ regię video Telonensem Episcopum dici, non Tolosanum. quod audio reperiri etiam in aliquot aliis earundem epistolarum libris antiquis. Sanè ex Italia in Britanniam per Narbonensem secundam Viennensemque & Lugdunensem pergentibus, quæ omnium expeditior securiorque via est, prima Galliarum urbs in litore mediterranei maris occurrit Telo sive Tolona, vulgò hodie *Toulon*, dein Massilia, & ceteræ civitates quarum Episcopi numerantur in titulo istius epistolæ, qui sic habet in editione Romana *M D X C I. Gregorius Menna Tolosano, Sereno Massilia, Lupo Cabiloni, Agilio Meris, Simplicio Parisi, Melantio Rotomagensi, & Licinio Episcopis Francorum, à paribus.* Hunc titulum descripsit postea Sirmondus ex editione Romana in tomo primo Conciliorum Gallię. Error autem est in his verbis, *Agilio Meris*; pro quibus legendum esse *Aigulfo Metis* rectè coniecit Sirmondus, vel *Agiulpho Metis* Meurissius Episcopus Madaurensis in historia Episcoporum Metensium pag. 92. Nam in veteri codice MS. bibliothecæ regię mox laudato sic legitur: *Gregorius Menna Thelona, Sereno Massilia, Lupo Cabillonensi, Agilfo Mettis, Simplicio Parisi, Melantio, Potumo, & Licino Episcopis Francorum, à paribus.* Sed emendanda quoque sunt ista ex libro regio, *Melantio, Potumo*; pro quibus legendum est, *Melantio Rotumo*, id est, de Rodomo, seu Rotomago, ut disertè scriptum vidimus in antiquo codice epistolarum sancti Gregorij manuscripto in bibliotheca monasterij sancti Remigij Remensis, ubi etiam scriptum est *Agileo Mettis*. Antè quàm verò manum

de tabula tollam, libet heic explicare rem non satis omnibus notam, nimirum quid significant illa verba à *paribus*, quæ leguntur in titulo istius epistolæ Gregorianæ. Veteres igitur hoc loquendi modo significare volebant eandem epistolam iisdem omnino verbis scriptam esse separatim ad unumquemque eorum qui nominabantur in titulo epistolæ. Quod etiam antiquitus observatum est à docto quodam viro in margine ejusdem regij codicis de quo paulò antea dicebamus. *Vniformis*, inquit, *epistola dicitur à paribus, nam duobus vel pluribus ipsa eademque uno sensu eodemque dictatu uniformiter mittitur.* Et quandoquidem heic sumus, moneo emendandum esse inscriptionem epistolæ cujusdam Alexandri III. in tomo quinto Spicilegij Dacheriani pag. 525. ubi post hæc verba *Firmano Episcopo* scriptum est: *similiter Esculano Episcopo, similiter Camerinesi &c.* Delenda itaque sunt omnia quæ post voces *Firmano Episcopo* interjecta sunt usque ad *salutem*, quæ reponenda sunt in fine epistolæ. Nam ista adnotata olim à Iohanne Bernardi sunt ut hinc intelligeret lector eandem epistolam seorsim missam esse ad Esculanum Episcopum & ceteros qui illic nominantur. Vnde & in codice MS. ex quo edita illa est, quo nos usi sumus beneficio optimi viri Antonij Vionis Herovallij, vox *similiter* ubique in hoc loco scripta est rubeo caractere. Quod indicat, ut dixi, ista reponenda esse in fine epistolæ, sicut videmus in regesto Innocentij III. frequenter additum in calce epistolarum: *In eundem modum Episcopo &c.*

Primus hunc canonem Triburiensem protulit Regino lib. 2. cap. 302. ex quo Burchardus descripsit. Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 5. tit. 30. cap. 9.

Reperitur hoc caput inter Capitula Hincmari Archiepiscopi Remensis tit. 2. cap. 23. unde citatur in capite nono Concilij Trosleiani. Extat etiam in Decreto Ivonis par. 6. cap. 420. & in veteri collectione canonum manuscripta quæ fuit Claudij Puteani. Sed in duobus illis locis acceptum dicitur ex epistola quadam Hincmari qua caremus. *Hincmarus Remo-*

2. q. 5. c. 15.
Nobilis.

2. q. 5. c. 162
Si mala.

rum Episcopus ac plebis Dei famulus dilecto fratri & venerabili coepiscopo Iohanni salutem. Si mala fama &c. Variè autem se habet hic locus secundum varias editiones. Nam & Correctores Romani admonent finem illius diversam esse in Concilio Troseiano. Apud Ivonem verò & in codice Puteano ita legitur: secundum decreta majorum cum denominatis sibi vicinis Presbyteris, quos scimus se nolle perjurare, sacramento famam suam purget. Ibi perjurare melius est quàm pejerare apud Gratianum. Vox enim illa tum valde erat in usu, ut patet ex libris Capitularium. Atque ita legitur in vetustis Gratiani codicibus regio, Sangermanensi, Colbertino, vetere Victorino. In recentiori Victorino legitur dejerare. In antiquis editionibus Moguntina & Veneta pejerare. Rursum Hincmarus hunc eundem locum paulò aliter refert in epistola 48. cap. 16.

2. q. 5. c. 20.
Consuluisti.

HUMBERTO] Codex Sangermanensis habet Humberto, regius & vetus Victorinus Luiberto, recentior Victorinus Guilberto, Colbertinus Liberto, antiqua editio Moguntina Lamperto, Veneta Huberto, vetus codex Puteanus Ludberto. Ea est vera lectio, quæ restituenda etiam est capiti 13. Viginti supra 16. dist. ubi scriptum est Luythobio pro Ludberto. Hujus extat epistola ad Ludovicum Regem in calce opusculorum Hincmari à Ioanne Cordesio editorum pag. 628. Item pag. 631. epistola Otfridi monachi Vvissenburgensis ad eundem Luidbertum, seu veriùs præfatio in evangelium versibus Germanicis redditum, cujus operis ex veteri codice MS. meminit & Nicolaus Serarius lib. 4. rer. Moguntiac. pag. 655. Apud Flooardum lib. 3. hist. Remensis cap. 21. mentio est plurimarum epistolarum ab Hincmaro scriptarum ad Luitberrum Maguntinum Archiepiscopum. Infra in hoc capite codex Puteanus legit: *Occulta verò & incognita illius sunt iudicio relinquenda &c.*

2. q. 5. c. 22.
Monomachiam.

Caput istud sumptum est ex epistola quinquagesima Nicolai primi. Primus verò illud ex ea epistola excerptit Regino lib. 2. cap. 77.

2. q. 5. c. 23.
Scps.

Multum diversus est hic canon à vulgatis editionibus Concilij Vvormaciensis, uti diximus ad Regi-

nonem lib. 2. cap. 276. Heic verò Correctores Romani ediderunt *Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie*, cum in omnibus Gratiani codicibus manuscriptis & antiquis editionibus, tum etiam apud Reginonem & Burchardum, scriptum disertè sit *tibi pro mihi*.

Apud Reginonem lib. 2. cap. 277. Burchardum lib. 2. cap. 199. & Ivonem par. 6. Decreti cap. 272. vox *furtum* non extat. Iterum Regino & Burchardus & regius Gratiani liber habent *in singulis Missam tractare debet & secretam publicè dicere & communicare*. Ita etiam Ivo; nisi quòd legit *pro singulis*, cum alij legant *in singulis*. Ceterum in omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus, tum etiam apud Democharem & Contium, hoc caput ita habet: *Si Episcopo aut Presbytero aliquod maleficium imputatum fuerit, pro singulis &c.* Reliqua ergo addita sunt à Correctoribus Romanis.

Rectè admonent iidem Correctores hanc epistolam videri esse Gregorij quarti. Vide quæ de ea re nos supra diximus in capite septimo nostræ præfationis.

Multifariam multisque modis inscriptum est hoc caput in antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus. Codex Sangermanensis & prima editio Moguntina: *Item cum Vigilus Papa dicat*. Antiquior Victorinus: *Item Vigilus Papa ait*. Regius & antiqua editio Veneta: *Item cum Iulius Papa dicat*. Recentior Victorinus: *Item Iulius Papa dicat*. Colbertinus: *Item cum Iulius Papa ait*. Apud Democharem & Contium: *Item cum Iulius Papa dicat*. Vbi iidem adnotant in margine hæc extare in epistola prima Iulij ad Episcopos orientales. Quod partim verum, partim falsum est. Nam in epistola illa Iulij hæc tantum habentur ex isto capite: *Qui ergo scit se quibusdam præpositum, non molestè ferat aliquem sibi esse prælatum*. In collectione Anselmi Lucensis lib. 2. cap. 18. in codice Sangermanensi: *Vigilius Papa*. Atque hæc est vera & genuina capituli istius inscriptio. Verum neque apud Gratianum neque apud Anselmum adnotatus est locus ex quo excerptum est hoc caput. Itaque Correctores Romani, cum illud invenissent in epistola Vi-

2. q. 5. c. 26.
Si Episcopo.

2. q. 6. c. 11.
Decreto.

2. q. 6. c. 12.
Qui se scit.

gilij quæ ad Eutherium sive Eleutherium scripta dicitur, verbis Gratiani ista addiderunt: *in epistola ad Eleutherium cap. ult.* Illustrissimus Cardinalis Baronius, cum describere pararet epistolam illam in suis annalibus, nescirétque cujus civitatis Episcopus fuisset hic homo, pronuntiavit ex ea colligi posse ipsum *fuisse Episcopum in extremis Hispania oris Oceano conjunctis, vel in Lusitania, aut in Gallicia.* Quo factum est ut postea nonnulli Hispani scriptores sibi persuaserint, tanquam rem certam, Episcopum illum fuisse Bracharensem in Lusitania, etiam propterea in hunc terrarum orbem inducentes auctoritatem Iuliani Lucæ Archidiaconi Toletani & Marci Maximi Archiepiscopi Cæsaraugustani, Chronographorum, si superis placeret, antiquissimorum & indubitæ fidei. At in antiquissima collectione canonum Lugdunensi optimæ notæ, quam in Hispania confectam & inde Lugdunum olim advectam puto, cum varia illius epistolæ capita in septem variis locis referantur, semper referuntur ex epistola Vigilij ad Profuturum. Itaque dubitandum non est, mea quidem sententia, quin expungendum sit ex titulo epistolæ nomen Eutherij, ut reponatur Profuturi. Nam disertæ epistolæ à sede apostolica ad Profuturum metropolitanæ Bracharensis Ecclesiæ Episcopum scriptæ mentio extat in canonibus quarto & quinto Concilij primi Bracharensis habiti sub Ariamiro Rege. Hæc sunt canonum verba. *Item placuit ut eodem ordine Missæ celebrentur ab omnibus quem Profuturus quondam hujus metropolitana Ecclesia Episcopus ab ipsa apostolica sedis auctoritate suscepit scriptum. Item placuit ut nullus eum baptizandi ordinem prætermittat quem & antea tenuit metropolitana Bracharensis Ecclesia, & pro amputanda aliquorum dubietate prædictus Profuturus Episcopus scriptum sibi & directum à sede beatissimi Apostoli Petri suscepit.* Quibus verbis nemo non videt designari apertè epistolam Papæ Vigilij quæ ad Profuturum data dicitur in veteri codice Ecclesiæ Lugdunensis. Ex qua interim observatione illustrari poterunt quæ de ordine Missæ Hispanicæ scribit eminentissimus & doctissimus Cardinalis Bona lib. 1. rer.

Neurgicar. cap. 7. Vide infrà dist. 1. de consecr. cap. 1. De fabrica.

Hoc caput sumptum est ex epistola 41. Nicolai Papæ ad Hincmarum Remensem Archiepiscopum scripta. In fine capituli legebatur olim, *canonica patrum deliberatione*, non solum in omnibus Gratiani codicibus manuscriptis & editis, sed etiam apud Anselmum Lucensem, & in epistola ipsa Nicolai. Correctores tamen Romani, repudiata lectione illa, quæ retinenda erat, voci *canonica* substituere maluerunt *cana*, propter illum Virgilij versum: *Cana fides, & Vesta, Remo cum fratre Quirinus, Iura dabant.* Quia in libro Ennodij pro Symmacho legitur *cana miracula & canum genium*. Ceterum in manuscriptis Gratiani exemplaribus legitur paulò infrà *ingenio* pro eo quod Romani ediderunt *genio*.

In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & in editione Moguntina legitur *Capellanum Ecclesia sancti Apollinaris* pro eo quod vetus editio Veneta & quæ post eam secuta sunt habent *Capellanum sancti Apollinaris*.

M C X L I. Ind. quarta] Legendum M C V. feria IV. ex consensu omnium veterum Gratiani codicum & antiquæ editionis Venetæ, nisi quod codex regius habet M C V I. vitio haud dubiè librarij. Prima editio Moguntina, quam sequitur Demochares, habet M C L X I. Indictione quarta. Romani Correctores, cum viderent quartam Indictionem non convenire cum anno illo incarnationis dominicæ, suâ propria auctoritate reposuerunt M C X L I. At ego contendo standum esse auctoritati veterum librorum, tamenetsi constaret mendum heic esse, adeoque nihil mutandum in contextu Gratiani.

In antiquis Gratiani exemplaribus manuscriptis & editionibus ante Romanam legitur heic simpliciter in titulo: *Vnde Adrianus Papa ait.* Correctores Romani addiderunt: *in Capitulis à se collectis cap. 44.* Et tamen Gratianus, cum capitulorum istorum auctoritatem adducit, ea nominare non solet, solo nomine Hadriani contentus. Certum est autem ea capitula tributa ut plurimum Hadriano fuisse, etiam ævo

2. q. 6. c. 13.
Arguta,

2. q. 6. c. 37.
Post appellationem. §.
Forma.

2. q. 6. c. 40.
Si quando.

Hincmari. Verùm bene multa in illis sunt quæ ostendere videntur illa non posse esse illius Pontificis. Quo factum est ut in præfatione mea ad Antonij Augustini dialogos de emendatione Gratiani veriorẽ esse putaverim scripturam veteris libri sancti Victoris Parisiensis, in quo hæc capitula collecta dicuntur ab Angilramno Metensi Episcopo & Adriano Papæ oblata. Illud ipsum habetur in antiquo codice manu scripto monasterij Latiensis, ubi sic legitur: *Liber capitulorum ex diversis Conciliis sive decretis Romanorum Pontificum collectorum ab Anilramno Metensi Episcopo.* Hæc admonere alicujus, opinor, momenti erat.

2. q. 7. c. 5.
Laicos.

In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus legitur simpliciter: *Item Eusebius.* Vel: *Item Eusebius Papa.* Demochares verò ista addidit in margine: *Euseb. episto. 1. ad Episcopos Gallia.* quæ verba dein editionis suæ margini apposuit etiam Contius. Sed Correctores Romani, Demochares & Contio audaciores, illa transtulerunt in textum Gratiani. Vide Cujacium ad titulum Decretalium de testib. & attestationib. cap. 14. *De cetero.*

2. q. 7. c. 41.
Nos si.

Vir doctissimus Hermannus Conringius putat epistolam istam esse Leonis tertij, eo in primis argumento, quòd Leone quarto sedente summa imperij penes Lotharium fuerit, non autem penes Ludovicum. Deinde apud neminem veterum scriptorum reperitur intercessisse similtates aliquas inter Leonem quartum & Lotharium. At verò ex Eginhardi annalibus liquet commotum adversus Leonem tertium fuisse Ludovicum Pium anno DCCCXV. quia cum conspirationem adversum se initam detexisset, omnes illius factionis auctores ipsius jussu fuerant trucidati, privata videlicet auctoritate sua, cum rem deferre debuisset ad aures Principis rerum domini. Nam & ipse Leo summum Principum nostrorum imperium agnoverat in initiis sui pontificatus, ac Karolo Magno fidem suam scripto obligaverat, id est, fidelitatis sacramentum præstiterat. Docet istud epistola 84. Alcuini, quæ est Karoli ad Leonem. *Perlectis, inquit, excellentia vestra litteris, & audita decretali cartula, valde, ut fateor, gavisi sumus, seu in electionis un-*

nimitate, seu in humilitatis nostræ obedientia, & in promissione ad nos fidelitate. Vbi tamen legendum puto, & in promissione ad nos fidelitatis. Sed ut redeamus ad Ludovicum, purgare se apud eum studuit Leo per Legatos. Probabile autem est scriptam missamque eodem tempore à Leone fuisse epistolam ad Ludovicum cuius heic fragmentum refert Gratianus sub nomine Leonis quarti.

Ex hoc capite collegit Gratianus interdictam monachis antiquitus fuisse accusationem adversus Episcopos, immo negatam etiam licentiam dicendi testimonium adversus eosdem. Viguit ea lex in Anglia per multa tempora, ut colligimus ex Eadmero in libro tertio historiæ novorum. Orta erat controversia de auctoritate quarundam literarum Paschalis secundi in Angliam delatarum à monachis quibusdam. Nonnulli aiebant falsas illas esse, alij negabant. Qui veras esse contendebant, *astruere nitebantur, semoto verborum incerto, scriptis sigillo Papa signatis verbisque monachicis omnino credendum. Illi è contrà trium patris Episcoporum assertionibus quàm vervecum pellibus atramento denigratis plumbique massula oneratis fore credendum, abjecto monachellorum testimonio, qui ubi seculo se abrenuntiare professi sunt, omne, inquit, secularis negotij testimonium perdidierunt. Cùm verò nihilo minus adversarij urgerent uti cederetur auctoritati bullarum pontificiarum, responderunt isti: Testimonium monachorum contra Episcopos non recipimus, & ovina pellis reciperemus?* Apud Eadmerum pag. 65.

Inscriptio istius capituli in codice Sangermanensi hæc est: *Item Stephanus Papa V. Girardo Laodicensi. in regio, Leodicensi. in antiquiore Victorino, Lodicensi. in recentiori, Gerardo Leodicensi. in Colbertino demum, Girardo Leodicensi. Ecce manifestissimè constat epistolam inscriptam esse cuidam Clerico Leodiensi, seu is Episcopus erat, sive in inferiori gradu constitutus. Nam veteres codices nihil habent de dignitate hominis. Quòd si de Leodiensi Episcopo heic agitur, necesse est ut Franconis nomen substituamus pro Girardo. Nullus enim, saltem Stephani*

2. q. 7. c. 55.
Placuit.

3. q. 2. c. 31.
Oportet.

quinti Pontificatu, Leodiensis Episcopus fuit Girardus, sed Franco, ut constat ex historia Episcoporum Leodiensium.

3. 9. 4. c. 8.
Clericus.

Cujacius ad titulum primum Decretalium de iudiciis cap. 4. ita explicat postremam partem istius capituli, ut curiam interpretetur de curia Decurionum, qui iudices non sunt; cui poenae causa Clericus addicitur, ut serviat tanquam pistrino. quam sententiam amplexus quoque fuisse videtur Franciscus Luretus in Notis ad epistolam 53. Ivonis Episcopi Carnotensis. Quia tamen interpretatio illa non caret difficultate neque contradictoribus, illustrissimus vir Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis sibi in eam rem incumbendum esse credidit. Itaque anno M D C L. die undecima Maij dissertationem de ea redidit in monasterio sancti Hieronymi Murtenis prope Barcinonem; quam nos existimavimus haec post Notas nostras opportunissimo loco edendam esse, cum nondum in lucem prodierit.

3. 9. 6. c. 10.
Haec quippe.

Miror eruditissimos & sapientissimos viros Correctores Romanos inscriptionem hujus epistolae mutasse contra omnium veterum librorum & editionum fidem. Vbique enim constanter scriptum est: *Vnde Nicolaus Papa Salomoni, vel Salamoni, Regi Britonum, vel Britorum.* Extat autem epistola illa Nicolai integra in tomis Conciliorum. Et tamen Correctores Romani sic ediderunt: *Vnde Ioannes Papa Salomoni tertio & ultimo Regi Britonum.* Veruntamen non puto Gratianum scisse, ne fando quidem, quotus Britonum Rex fuerit Salomon, neque item utrum ultimus. Additionis istius fons & origo est Contius, qui in margine editionis suae adnotavit eum fuisse ultimum Regem Britonum. quam observationem ex margine in textum transtulerunt Correctores, ut solent. Neque tamen vera propterea est observatio viri doctissimi & celeberrimi; qui de emendatione ista alicubi agens, vel ex eo probat epistolam illam non posse esse Ioannis V I I I. quod ad eius tempora Salomon Rex non pervenerit. Fallitur, inquam, vir eruditissimus. Nam Ioannes electus est Romanus Pontifex anno D C C C L X X I I, Salomon vero occi-

sus est anno DCCCLXXIV. ut tradit auctor anna-
 lium Metensium. De causa porrò Archiepiscopi Tu-
 ronensis adversus Episcopos Britonum, de qua agi-
 tur in hoc capite, vide quæ dicta à nobis sunt in li-
 bro quinto de concordia sacerdotij & imperij cap. 46.

Hoc caput in antiquiori codice Victorino sic ins-
 criptum est : *Item Nicholaus Papa Guallinoni Sen-
 nensi Episcopo. In regio : Item Nicholaus Papa Vval-
 liloni Senesi Archiepiscopo. In Sangermanensi : Item
 Nicholaus Papa Senoniensi Archiepiscopo.* Aliorum va-
 rias lectiones referre necessarium non arbitror. Le-
 gendum itaque : *Item Nicolaus Papa Vvaniloni Sen-
 nensi Archiepiscopo.* Ceterùm epistola illa Nicolai edi-
 ta est integra à Ioanne Cordesio in appendice opuscu-
 lorum Hincmari, dein à Sirmondo in tomo tertio
 Conciliorum Gallix. Vide porrò quæ de negotio il-
 lo Herimanni dicta à nobis sunt in Notis ad Lupum
 Ferrariensem pag. 457. & in capite septimo præfa-
 tionis nostræ ad dialogos Antonij Augustini de emen-
 datione Gratiani.

3. q. 6. c. 14.
 Indicas.

Hunc locum Regino lib. 2. cap. 336. citat ex li-
 bro tertio Capitularium cap. 52. Burchardus, quia
 volebat uti auctoritate Capitularium, retulit ex
 Concilio Matiscensi cap. v. ac propterea initium mu-
 tavit. Vide Cujacium ad titulum Decretalium de te-
 stibus & attestationibus cap. 1.

4. q. 2. c. 24.
 Placuit.

Vide Halitgarium lib. 4. cap. 28. Rhabanum in
 epistola ad Heribaldum cap. 18. & Reginonem lib. 2.
 cap. 324.

6. q. 1. c. 18.
 Quicunque.

In vetustis Gratiani exemplaribus Colbertino,
 Sangermanensi, duobus Victorinis, tum etiam in
 prima editione Moguntina, inscriptio istius capitis
 ita habet : *Item Nicholaus Alvino Iovanensi Archie-
 piscopo. In regio verò : Alumpno Iovinensi Archiepis-
 copo. Apud Democharem & Contium : Item Nico-
 laus Papa Alvino Ianuensi Archiepiscopo.* quo etiam
 modo editum fuisse reperio à Petro Albignano. Vtra-
 que lectio mala est, cum legendum sit *Adalvino
 Iuvanensi Archiepiscopo*, uti nuper adnotavimus ad
 Reginonem pag. 595.

7. q. 1. c. 4.
 Pontifices.

Codex Sangermanensis habet : *Item Leo IIII. Nen-*

7. q. 1. c. 10.
 Non furem.

noni Duci Britannia. Recentior codex Victorinus & vetus editio Moguntina, *Novoni.* regius, *Nennino.* antiquior Victorinus, *Nonnoni.* Colbertinus, *Nemo.* Editio Veneta antiqua, quam secutæ sunt posteriores, *Vernoni.* Sed illud mendosum est, ut jampridem monuit Sirmondus in capite tertio Antirrhethici secundi adversus Aurelium. Legendum ergo, *Nomenoio.* Hic est Nomenoius ad quem scripta est celebris illa & elegantissima epistola lxxxiv. Lupi Abbatis Ferrariensis, in qua Episcopi Gallicani ad eum scribunt nolle se fures & latrones vocare Episcopos ordinatos in locis viventium, sed mercenarios. *Episcopi legitimi sedibus propriis pulsî; & ut mitius loquamur, quia dicere nolimus FURES ET LATRONES, mercenarij introducti.* Quibus verbis reflexisse omnino mihi videntur ad epistolam istam Leonis quarti, in qua Gilardus Nannetensis Episcopus ordinatus in loco Actardi vocatur fur & latro. De illa enim loqui puto Episcopos Gallicanos cum Nomenoio scribunt ipsum noluisse literas ejusdem Leonis recipere quibus eum monebat ut à malis ceptis desisteret. *Non solum nihil eorum qua mandaverat fecisti, sed ne litteras quidem ipsas recepisti; & quia volebas à malo desistere, timuisti bene monentem audire.*

7. q. 1. c. 21.
Placuit.

Etiam in vetustis Gratiani exemplaribus manuscriptis adnotatum est canonem istum Concilij Carthaginensis quinti esse. Renovata autem est hæc constitutio à Karolo Magno, ut patet ex libro primo Capitularium cap. 41. Vide Notas ad Reginonem pag. 542.

7. q. 1. c. 30.
Remoto.

In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus manuscriptis & editis hæc tantum leguntur: *Item Hilarius Papa.* Deinde Demochares addidit in margine: *Episcopis Terraco. cap. 3.* Correctores Romani observationem Democharis ex margine, ut solent, transtulerunt in textum.

7. q. 1. c. 33.
Sancitum.

Primus hunc canonem protulit Benedictus Levita lib. 7. Capitular. cap. 146. & post eum Regino lib. 1. cap. 240. sed sine nomine auctoris. Burchardus addidit: *Ex Concilio Rotomagensi cap. v. Quem securi postea*

postea sunt Ivo & Gratianus. Sed utrum re vera sit alicujus Concilij Rotomagensis, definire non possum. Certè non extat in editis. Fortassis erit Concilij apud Rotomagum habiti sub Ludovico Rege, cujus mentionem facit eruditissimus vir Ioannes Mabilon monachus Benedictinus in præfatione ad tomum tertium sanctorum ordinis sui pag. 56. ubi existimat habitum illud esse circiter annum octingentesimum octogesimum.

SURRIPIAT AUT] Hæ voces non habentur in antiquis Gratiani libris, neque in Talonico Burchardi codice optimo, neque demum apud Ivonem. Addita autem sunt, ut fatentur Correctores Romani, ex Burchardo, apud quem sic legitur in vulgatis editionibus: *Ecclesiam surripiat aut Ecclesiam vacantem &c.* Sed observandum est antiquos librarios duas interdum unius loci lectiones simul posuisse, ut ex his eligeret lector quam mallet, quemadmodum non semel dictum à nobis est. Apud Reginonem, unde Burchardus accepit, tum etiam in libro septimo Capitularium, legitur simpliciter: *Ecclesiam subripiat, pro hac cupiditate &c.* Postea exortus est Burchardus, qui hunc quoque canonem in Decreto suo posuit. Duæ ergo illius lectiones habentur apud Burchardum, una vulgata, altera quæ extat in codice Dionysij Talonij. Vulgata sic habet: *surripiat, aut Ecclesiam vacantem pretio redimat.* Altera nihil habet præter vocem *surripiat.* Ego censeo primo scriptum fuisse apud Burchardum uti apud Reginonem est, deinde studiosum quendam adnotasse supra lineam, *aut Ecclesiam vacantem pretio redimat.* Ex quo factum est ut aliqui eorum qui postea codicem Burchardi descripserunt utramque lectionem retinuerint, alij eam tantum quæ erat ex glossemate; quæ prævaluisse videtur, cum Ivo & Gratianus illam habeant. Quicquid verò sit de toto isto negotio, certum est Correctores Romanos non debuisse mutare textum Gratiani.

HUMIFRIDO] Sirmondus in capite tertio secundi Antirrhethici monet legendum *Hunifredo*, male porrò apud Ivonem parte 6. Decreti cap. 120.

appellari Vuilfredum. In vetustis Gratiani codicibus vocatur Vinfridus vel Vinfredus, in antiqua editione Moguntina Hunifridus. Eidem inscriptum debere esse caput *Clericum* dist. 50. admonet idem Sirmundus.

7. q. 2. c. 1.
In suis.

Hujus capituli inscriptio in codicibus regio, Sangermanensi, & vetere Victorino hæc est: *Vnde Alex. II. scribit Gebonardo Vivianensi Archiepiscopo*, in Colbertino, *Vmanensi*. in recentiore Victorino, *Vienenfi*. In antiquis editionibus Moguntina & Veneta, tum etiam apud Democharem & Contium, *Vivariensi*. Hanc ultimam lectionem retinuerunt in editione sua Correctores Romani. Verum manifestus heic error est. Neque enim Vivariensis Episcopus metropolitico unquam honore sublimatus est, neque ullus ea tempestate Gebonardus fuit Episcopus Vivariensis. Itaque sic legendum est: *Alexander secundus Gebonardo Iuvanensi Archiepiscopo*, id est, Salzburgensi. quam lectionem exhibent Ivo parte 6. Decreti cap. 405. & vetus canonum collectio MS. quæ fuit Claudij Puteani. Gebonardum porro sive Gebehardum tenuisse cathedram Iuvavensem avo Alexandri secundi patet ex vita ejus ab Henrico Canisio edita in tomo sexto lectionis antiquæ pag. 127. & ex Sigeberto in libro de unitate Ecclesiæ pag. 94. in editione Basileensi Simonis Schardij. Similem medicinam adhibuimus capiti *Quod interrogasti*. dist. 27. & in causa ista, q. 1. c. 4. *Pontifices*.

7. q. 2. c. 2.
Nuper.

Citat hoc caput, quod esse ait *ultimum septima causa capitulum in corpore decretorum*, Innocentius III. apud Odoricum Raynaldum ad annum 1202. §. 12. cum ageretur de Lectorensi Episcopo morbo comitiali laborante in Archiepiscopum Auscitanum electo.

TRIGINTA DIEBUS] In codice Sangermanensi legitur, *ut eum LXXX. diebus*. in regio, *ut eum vel LXXX. diebus*. sed duo puncta supposita sunt literis *vel*, quæ ostendunt illas esse superfluas. In antiquiore Victorino, *ut eum l. xxx. diebus*. quo loco litera *l* divisa est per lineolam superiùs, ut significet *vel*. Verum mendum heic est. Codex Colbertinus,

ut eum xxx. diebus. Recentior Victorinus: ut eum
 triginta diebus. quo etiam loco literal significat vel.
 Prima editio Moguntina: ut eum xxx. diebus. Ve-
 neta: ut eum vel xxx. diebus. quo etiam modo le-
 gunt Demochares & Contius. At Correctores Ro-
 mani expunxerunt particulam vel, ut simpliciter le-
 gerent triginta. Fortassis nonnullorum veterum scrip-
 torum auctoritas & vestigia sinceræ lectionis in aliis
 ostendunt legendum esse octuaginta.

Iam antea ad distinctionem 68. monuimus falsam
 esse epistolam Ioannis tertij ex qua sumptum est hoc
 caput.

8. q. 1. c. 1.
 Si Petrus.

[IUDICIO EPISCOPOR.] Post illa verba
 sequitur in omnibus Gratiani codicibus manuscrip-
 tis & editis & electione Clericorum. Ea verò expun-
 xerunt Correctores Romani, quia neque in originali,
 inquit, neque apud ceteros collectores leguntur. Ego,
 qui puto religiosum debere esse editorem veterum
 auctorum, retinuissem eam clausulam in contextu
 Gratiani, & in Notis admonuissem eam non extare
 in originali neque apud ceteros collectores. Et for-
 tassis Gratianus viderat antiquum aliquod Antio-
 cheni Concilij exemplar in quo clausula illa conti-
 nebatur. Diverso ausu iidem Correctores nonnulla
 frequenter addiderunt in contextu Gratiani quæ
 mittenda erant quia non extant apud Gratia-
 num. Hinc enim fit, quod sæpe dicendum est, ut
 Gratiani collectionem hodie non habeamus, sed col-
 lectionem Correctorum Romanorum in hærentem
 ordini qui servatus à Gratiano est.

8. q. 1. c. 3.
 Episcopo.

In omnibus Gratiani libris editis & manuscriptis
 hæc tantum habentur: Item Innocentius Papa secun-
 dus. Correctores Romani addiderunt: in Concilio
 Romano cap. 16. Verum nulla ratio est cur hoc caput
 describeretur Romano Concilio potius quàm Claro-
 montano, quod novem annis habitum est ante Roma-
 num. Eadem enim verba quæ hæc leguntur, extant
 inter canones Concilij quod Innocentius secundus ce-
 lebravit apud Clarummontem in initiis sui pontifi-
 catus. Vnde rursus colligitur nihil mutandum aut
 addendum fuisse apud Gratianum absque auctori-
 tate veterum codicum.

8. q. 1. c. 7.
 Apostolica.

8. 9. 3. c. 2.
Artaldus.

Hoc caput intelligi debere de Artaldo Episcopo Helenensi in Gallia Narbonensi probavimus in libro quinto de concordia sacerdotij & imperij cap. 41. In veteri collectione canonum MS. quæ fuit viri clarissimi Claudij Puteani, & nunc servatur in bibliotheca regia, hæc quæ sequuntur, paulò aliter leguntur quàm apud Gratianum. *Canonicis juraverat. hujusmodi sacramentum. feci, nullam conventionem ante. consecrationem meam. criminis ejus conscius sum. à sacerdotio me repellat.* Ceterùm omnia antiqua Gratiani exemplaria manuscripta & edita habent à sacerdotio me repellat. quæ verba optimum sensum faciunt. Vt mirum valde sit hanc lectionem fuisse repudiatam à Correctoribus Romanis, qui à *sacra me unctione repellat* edere maluerunt.

ARELATENSIS] Omnia Gratiani exemplaria sic prorsùs habent. Sed vetus collectio canonum Claudij Puteani, à nobis sæpe laudata, legit *Alanensis*. Quæ lectio, tamenetsi corrupta, propius accedit ad veram. Legendum quippe *Helenensis*. Helena, sive Elna, vulgò *Elna*, civitas est Gallia Narbonensis, dicta Illiberis apud Titum Livium lib. XXI & vicus Eliberri, magna quondam urbis & magnarum opum tenue vestigium, apud Melam. *Castrum Helena* in Chronico Hieronymi, & oppidum cui *Helena* nomen est apud Paulum Orosium in libro septimo historiarum adversùs paganos. Helenensis Ecclesia suffraganea semper fuit Ecclesiæ Narbonensis usque ad tempora Iulij secundi, qui eam anno MDXI. x. Kal. Augusti exemit ab omni superioritate, dominio, potestate, jurisdictione, correctione, & auctoritate Archiepiscopi Narbonensis ejusque Officialium & Vicariorum, subjecitque eam sedi apostolicæ. Sed postea Leo X. exemptionem, liberationem, & decretum, ac literas hujusmodi revocavit, cassavit, irritavit, & annullavit, illaque omnia pro infectis haberi & censi nulliusque roboris vel momenti fuisse & esse declaravit, Episcopumque & clericum ac populum civitatis & diocesis Elnensis Archiepiscopo Narbonensi semper subjecta fuisse & esse prout ante exemptionem & liberationem. *Litera*

Leonis datæ sunt Romæ anno M D X V I I . x i . Kal. Februarij. Verùm ista Leonis bulla irrita fuit Karolo V. Cæsare & Hispaniarum Rege obsistente. Itaque Helenensis Episcopus noluit deinceps habere Archiepiscopum Narbonensem pro suo Metropolitanano. Cùm verò post Leonis ac Iulij tempora Concilium Tridentinum statuisset ut Episcopi qui nulli Archiepiscopo subijciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum semel eligerent, in cujus synodo provinciali cum aliis interesse deberent, Elnensis Episcopus, qui tum erat sub dominio Philippi secundi Regis Hispaniæ, maluit Tarraconensem metropolim agnoscere quàm redire ad Narbonensem. Denique Gregorius XIII. Elnensem Ecclesiam statuit deinceps fore suffraganeam Ecclesiæ Tarraconensis. Clemens autem octavus sedem Episcopi Elnensis transtulit Perpignanum, nomine tamen veteri semper manente.

In veteri collectione canonum quæ fuit Claudij Puteani legitur: *Vrbanus II. Gebeharo Episcopo Constantiensi*. In codice verò Rivipullensi, *Geboardo*. Sirmondus tamen in capite tertio *Antirrhethici* secundi adversùs Aurelium monet mutandam esse inscriptionem hujus capituli apud Gratianum, & pro Gebeharo Episcopo Constantiensi substituendum esse nomen Pibonis Episcopi Tullensis, quòd is locus reperiatur in epistola quam Vrbanus ad eum scripsit; quæ nuper, ut diximus, edita est in tomo decimo Conciliorum. Verùm & Ivo & Gratianus aliique præterea veteres collectores caput istud sumptum dicunt ex epistola ad Gebehardum Episcopum Constantiensem, ut ipse Sirmondus fatetur; adeoque nihil mutandum est. Refert autem hoc caput Eckbertus Bunnensis Canonicus in sermone decimo adversùs Catharos.

Refertur hoc caput, uti & sequens, à Reginone lib. 1. cap. 61. *ex Concilio Nannetensi* 419. Burchardus lib. 2. cap. 92. *ex eodem cap.* 419. Emendare ista conatus est Ivo Carnotensis, quòd putaret haud dubiè heic erratum esse, non à Burchardo, sed à librario: neque enim tot posse esse unius Concilij capitula.

9. q. 1. c. 4.
Ab excommunicationis,

9. q. 2. c. 4.
In dominicis

la. Itaque par. 2. Decreti cap. 122. hunc eundem canonem referens, ex Concilio Nannetensi cap. XIX. sumptum fuisse tradit in omnibus editionibus & in vetustissimo codice manuscripto sancti Victoris Parisiensis. Et tamen Antonius Augustinus in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 3. tit. 25. cap. 2. ait caput istud ab Ivone in loco citato referri ex capite 419. Concilij Nannetensis, nullum interim Decreti Ivonici exemplar antiquum laudans auctorem istius rei. Quo fit ut ego existimem heic memoria lapsum esse summum virum, & Ivonem posuisse pro Burchardo. Vide porrò præfationem nostram ad Reginonem cap. 9. & 13.

10. 9. 1. c. 2.
Sic quidam.

Apud Reginonem lib. 1. cap. 32. & apud Burchardum, qui ex Reginone accepit, lib. 3. cap. 20. legitur: *Multi contra canonum constituta &c.* Lib. 7. Capitular. cap. 215. *Multi contra canonum statuta &c.* Lektionem quæ in Reginone est confirmat Concilium Toletanum tertium, unde sumptum est hoc caput.

10. 9. 1. c. 9.
Relata.

Apud Reginonem lib. 1. cap. 12. legitur: *Delata est &c.* Sic etiam habetur in editionibus Burchardi lib. 1. cap. 229. At in vetere libro ejusdem Burchardi manuscripto in bibliotheca illustrissimi viri Dionysij Talonij legitur *Relata.* unde huc translatum est hoc initium istius capituli.

MANSIONES] id est, procurationes, ut diximus ad Reginonem. Eadem dicebantur parata, ut colligitur ex verbis istius canonis quæ sequuntur. At tamen quidam paratas distinguunt à mansionatico.

10. 9. 1. c. 14.
Sanctorum.

In vetustis Gratiani exemplaribus & editionibus hæc est inscriptio istius capituli: *Item Calixtus Papa.* Correctores Romani, cum rectè observassent ista non posse esse Callisti primi, non rectè in contextu Gratiani addiderunt *secundus*, ut heic agi docerent de re quam Callistus secundus sancivisset. In veteri codice MS. monasterij Anianensis, ex quo nos edidimus Concilium Lateranense habitum a vo istius Callisti, hæc adduntur post vocem *rotunda*, & *sancti Nicolai Barenfis, sancti Ægidij, aut de aliis &c.*

10. 9. 2. c. 4.
Precariz.

Videndus Regino lib. 1. cap. 364. & sequentibus; ex quo sua Burchardus accepit. In Notis porrò no-

iris pag. 575. deteximus malam Burchardi fidem in hoc loco. Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 3. tit. 12.

Oprimè adnotant Correctores Romani caput istud non posse esse alicujus Concilij Carthaginensis. Iidem admonent extare in lege Longobardorum lib. 3. tit. 8. (legendum, 10.) cap. 2. Est enim ex Capitulis Lotharij Imperatoris, quæ adjecit ad legem Longobardorum. Ceterùm caput istud non habetur in antiquis Gratiani exemplaribus regio, Sangermanensi, & Victorinis. Habetur tamen in Colbertino & in antiquis editionibus Moguntina & Veneta. Vide Antonium Augustinum in loco mox laudato.

PAROCHIALIUM] Antonius Augustinus pag. 14. suorum dialogorum de emendatione Gratiani censet legendum esse *parochianorum* pro *parœcialium*. Malè, ut opinor. Canon quippe non loquitur de Christianis fidelibus qui sub Presbyterorum illorum cura consistebant, qui vulgò dicuntur parochiani, sed de Presbyteris qui parœcias regebant, quos ideo canon vocat parœciales Presbyteros. Hi se prægravari querebantur ab Episcopis suis, & modum poni postulabant eorum avaritiæ. Renovavit synodus decretum Concilij Bracharensis secundi. Itaque nihil in hoc loco mutandum; retinendâque verus lectio, quam retinuit & Loaisa in canone quarto Concilij Toletani tertij, unde sumptum est hoc caput. Vetusissimus codex MS. Ecclesiæ Lugdunensis: *Querimonias etiam parrochialium Presbyterorum Gallicie provincie solertissimè discernere decuit.* Antiqua collectio canonum Andegavensis: *Querimonias etiam parrochialium Presbyterorum Gallitie provincie solertissimè discernere placuit.*

GALLIÆ] In antiquis Gratiani exemplaribus regio & Sangermanensi scriptum est *Gallicia*, in recentiore Victorino *Gallicia*, in antiquiore *Galatia*, in Colbertino verò & duabus antiquis editionibus Moguntina & Veneta *Gallia*. Quo etiam modo editum est à Demochare & Contio; eandemque lectionem prætulerunt Correctores Romani, quòd Gallicanæ regni Gothorum provinciæ Episcopi, id est, provin-

10. q. 2, c. 6.
De precariis.

20. q. 3, c. 8.
Inter cetera.

ciæ Narbonensis, ad synodos Toletanas per ea tempora convenire solerent. Verùm verior mihi videtur sententia Garfiæ Loaisæ, qui ista adnotavit in margine istius Toletani canonis: *Gallicia*] Sic est in omnibus codicibus manuscriptis, quam lectionem retinui, cum infra dicatur hoc decerni ex decreto Concilij Bracarenensis, sub cuius metropoli erat Gallicia. Carolus etiam Molinæus in annotatione ad hunc locum putat legendum esse *Gallicia*. Vidimus autem suprâ *Gallicia* diserte scriptum esse in antiquissimis codicibus Lugdunensi & Andegavensi. Eandem autem lectionem præfert etiam collectio Isidori. Gaufridus de Monte electo Abbas Lipinensis legit *Gallia* in tractatu de auctoritate sacri Concilij generalis.

DIÖCESIS SUE BASILICAS] In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus, etiam apud Democharem & Contium, legitur: *diöceses vel basilicas*, quo etiam modo scriptum est in vetusto codice Ecclesiæ Lugdunensis. Colbertinus Gratiani codex habet tantum, *per singulas diöceses juxta synodum &c.* Correctores Romani maluerunt *per singulas diöcesis sua basilicas*. Quam lectionem retinuit Loaisa in editione Conciliorum Hispaniæ. Verùm sincerior mihi videtur lectio veterum codicum. Quo loco vetus glossa interlinearis in codice Sangermanensi ita distinguit ut super voce *diöceses* addat *rurales*, super verbo autem *basilicas* addat *civitatenses*.

Sed ut redeamus ad canonem ipsum, adnotandum est in eo agi de Episcopis visitantibus suas diöceses, quorum fastui & ambitioni modum ponere conatur ista synodus Toletana. Ex eo fonte orta est constitutio Lateranensis sub Alexandro III, adversum Legatos; de qua egimus in libro quinto de concordia sacerdotij & imperij cap. 51.

Caput istud non extat in antiquis Gratiani exemplaribus regio, Sangermanensi, & vetere Victorino. Habetur autem in recentiore Victorino absque inscriptione. In Colbertino conjunctum est cum superiore. In antiqua editione Veneta nullam habet inscriptionem, nisi quod Paleæ nomen illic extat. In prima editione Moguntina sic inscriptum est: *Item ex Con-*

17. q. 3. c. 2.
Nullus judi-
cum.

Concilio Parisiensi capitulo primo. Canon est quartus Concilij quinti Parisiensis habiti anno D C X V. ut monuit Sirmondus in Antirrhethico secundo adversus Aurelium. Citatur autem, sed absque inscriptione, lib. 6. Capitular. cap. 154. & Addit. IV. cap. 62.

Φεαρία] In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus, tum etiam in editione Conciliorum Jacobi Merlini, legitur *fratrea* vel *phratea*, Latinis characteribus. Primus, ut arbitror, Demochares Græcis literis in hoc loco usus est. quem secuti sunt Contius & Correctores Romani. In antiqua collectione canonum Lugdunensi legitur: *quod apud Græcos dicitur fratrias*. Est igitur interpretatio canonis Chalcedonensis, in quo vox *Φεαρία* usurpata est pro conspiratione seu potius sodalitate. Fratrias cum conspirationibus conjunxit Flavius Gundemarus Rex in tomo Conciliorum Hispaniæ pag. 263. *Per quasdam fratrias & conspirationes*.

ILLICITOR.] Vide Reginonem lib. I. cap. 318. 319. & lib. 2. cap. 445.

Refert hanc constitutionem Innocentius III. in cap. *Novit*. De judiciis. ex Gratiano, ut apparet, cum eam tribuat Theodosio. Est enim constitutio Constantini inserta Codici Theodosiano. Rectius ergo in libro sexto Capitularium cap. 281. citatur ex sextodecimo Theodosij Imperatoris libro. Vide porro Cujacium in caput *Novit*.

Puto totum hoc caput non satis bene intellectum esse ab Antonio Augustino in dialogo undecimo libri posterioris de emendatione Gratiani. Itaque visum est illud explicare. Romani, Franci, Alamanni, Bajuvarij, Burgundiones, Saxones, Turingi, & Frisones, nullam, ut arbitror, difficultatem habent, neque Britones, Longobardi, Guascones, aut Beneventani. Quærendum igitur quid heic intelligi debeat per Gallos, Gothos, & Hispanos. Ac primò quidem dubium esse non potest quin per Gallos intelligi debeant homines originis Gallicæ, Franci quidem & Francico imperio subjecti, sed qui genus reperebant à vetustis Galliæ incolis ante Fraucorum adventum. Hi ergo haud dubiè suam legem habebant diversam à le-

II. q. I. c. 22.
Conjuratio-
num.

II. q. I. c. 34.
Aliud.

II. q. I. c. 35.
Quicumque.

II. q. I. c. 37.
Volumus.

ge Francorum, id est, Codicem Theodosianum, ac fortasse alias. De Gothis & Hispanis major est difficultas. Sed tamen ea facile solvetur. Gothi & Hispani Francico imperio subjecti eandem regionem incolebant, id est, eam Hispaniæ partem quæ nunc Catalonia dicitur usque ad fluvium Rubricatum. Vnde in Præcepto Karoli Calvi dato anno DCCCXLIV. in monasterio sancti Saturnini prope Tolosam ita legitur: *Gotos sive Hispanos intra Barchinonam famosi nominis civitatem vel Terrarium castellum cohabitantes.* Gothi igitur in ea Hispaniæ parte habitantes ij erant qui supererant ex regno Gothorum, & nunc Catalani vocantur. Hispani verò in eadem parte Hispaniæ cum Gothis habitantes ij erant qui ex ea Hispaniæ parte orti erant quam Sarraceni tenebant, & se in regnum Francorum contulerant ut se Sarracenorum jugo subtraherent. Vnde in Præcepto Karoli Magni dato Aquisgrani anno DCCCXI. IV. Non. Aprilis misso ad Comites illarum partium agitur de Hispanis qui querelam suam adversus eos detulerant ad Principem, conquerentes sibi ablatas esse terras quas ab eodem Karolo acceperant excolendas in eora. Sed totum istud negotium clariùs explicant Præcepta duo Ludovici Pij de Hispanis qui ad se perfugerant, quæ edita primò sunt à Petro Pithæo, deinde ab Andrea Duchesnio. Porrò qui heic Gothi vocantur inter gentes regni Francorum, Hostolenses vocantur in Præceptis Karolomanni & Karoli Simplicis quæ edita à nobis sunt in appendice Conciliorum Galliæ Narbonensis tit. II. & IV. *Si verò infra istas villas homines Hostolenses sive Hispani fuerint &c.* Hinc factum ut in veteri Chartulario Ecclesiæ Helenensis idem Karolus simplex vocetur Rex Francorum atque Gothorum. Fortassis ex compositione istorum duorum vocabulorum *Gothi Hostolenses*, quæ promiscuè tum usurpabantur pro significandis populis qui nunc Catalani dicuntur, ortum est Cathalonix nomen, ut primùm fortassis dicti sint populi Gothostolenses, dein per abbreviationem Gotholenses. Alioqui enim non video unde exorta sit ea appellatio. Ex Gotholensibus porrò, ut mutare solet posterior ætas, facti

sunt haud dubiè Catalenses, *Catalens, Catalans.*

Nihil dicam de hoc capite. Illud tantùm moneo, videndum esse Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 3. tit. 13. cap. 3.

Vide rursùm Antonium Augustinum ibidem lib. 2. tit. 2. cap. 1. ubi multa adfert notatu digna ad illustrationem istius capituli.

Quæ heic dicenda fuissent, ea relata sunt in Notis ad Antonium Augustinum, quia Augustinus pag. 357. notaverat insignem errorem Antonij Contij.

Burchardus, Anselmus, Ivo, & Gratianus citant hoc caput ex decreto Honorij Papæ, ut rectè monent Correctores Romani. Ex eodem decreto citat etiam sanctus Thomas Archiepiscopus Cantuariensis in epistola ad Episcopum Cicestrensem nondum edita. *Inde est, inquit, quòd mandamus vobis & in obedientia præcipimus ut eos qui à nobis excommunicati sunt, vos quoque, prout decet, excommunicatos & habeatis & denunciari faciatis juxta illud decretum Honorij Papæ. CURÆ SIT omnibus Episcopis &c.* Ivo tamen parte 14. Decreti cap. 65. eam constitutionem tribuit Ioanni octavo in Concilio apud Ravennam. Ceterùm hoc caput non potest esse Honorij secundi, cum referatur à Burchardo, Anselmo, & Ivone.

Regino lib. 2. cap. 393. refert hoc caput, sed absque nomine auctoris. Burchardus, quia videbat caput quod antecedit sumptum dici ex Isidoro, istud quoque eidem scriptori tribuendum esse putavit. Burchardum Ivo descripsit, ut solet.

Verba sunt formulæ secundùm quam priscis temporibus fieri debebat excommunicatio. Hanc formulam integram retulit Regino lib. 2. cap. 409. Burchardus, qui putaret istud quoque sumptum esse ex Concilio Rotomagensi quia caput 406. ex eo Concilio dicebatur acceptum, formulam istam tribuit Concilio Rotomagensi, ut diximus in capite XIX. præfationis ad Reginonem. Burchardum secutus pro more suo est Ivo Carnotensis Episcopus.

Et istud quoque caput est formula prisci ævi, relata à Reginone lib. 2. cap. 413. Burchardus deinde citavit ex Concilio Arausico cap. v. Ivo simpliciter ex-

11. q. 1. c. 38.
De persona.

11. q. 1. c. 46.
Si Clericus.

11. q. 3. c. 3.
Præcipuè.

11. q. 3. c. 20.
Curæ sit.

11. q. 3. c. 28.
Si quis frater.

11. q. 3. c. 106.
Debent.

11. q. 3. c. 107.
Canonica.

Concilio Araufico. Hinc ergo edoctus est Gratianus falsa pro veris accipere, falsa reddere & proponere.

12. q. 2. c. 33.
Si quis.

Canon iste aliter legitur apud Reginonem lib. 1. cap. 353. Refertur autem infra ex Concilio Aurelianensi. Sed re vera est tantum epitome istius canonis Agathensis.

12. q. 2. c. 39.
Et si illi.

Codex Sangermanensis hæc tantum habet in inscriptione hujus capituli: *Item ex Concilio Toletano*. Reliqui & veteres editiones: *Ex Concilio Toletano quarto*. Demochares & Contius addiderunt in margine, cap. 66. Sed Correctores Romani maluerunt eam notam reponere in textu Gratiani. Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 3. tit. 11. cap. 5.

12. q. 2. c. 44.
Precariæ.

Apud Reginonem lib. 1. cap. 362. citatur ex Concilio apud Belvacum, quod descriptum est in Concilio Meldensi. Itaque sive referas ex Concilio Meldensi, sive ex Belvacensi, parum refert. Vide porro Notas nostras ad Reginonem pag. 574.

12. q. 2. c. 55.
Injustum.

Regino lib. 1. cap. 370. refert ex Capitulis ad Carisiacum, quæ non extant. Huic ergo malim credere quam illis qui repetunt eandem constitutionem ex Concilio apud Silvanectum vel Tansiacum. Deest autem hæc palea in vetustis Gratiani codicibus regio & Sangermanensi. Deest etiam in vetere Victorino, nisi quod postea addita est in margine cum hac epigraphæ: *Item ex Concilio Aprecaensi cap. 111*.

12. q. 2. c. 58.
Episcopus qui.

Extat apud Reginonem lib. 1. cap. 357. & inde apud Burchardum lib. 3. cap. 176. Sed apud Reginonem desunt illa verba *Tunc enim* usque ad *acquisiuit*, quæ habentur apud Burchardum & Gratianum.

12. q. 2. c. 62.
Octava.

Antiqua Gratiani exemplaria habent: *Item ex Concilio Spalensi*. Editiones Moguntina & Veneta: *Item ex Concilio Hispalensi*. Sic etiam apud Democharem & Contium, qui in margine ita scripserunt: *Cap. 8. Concil. Spalensis 2*. Hæc deinde observatio in textum migrare iussa est editione Romana.

HELISEO] Variè scribitur hoc nomen in vetustis Gratiani codicibus. Regius, Sangermanensis, recentior Victorinus, & antiquæ editiones Moguntina & Veneta, tum etiam Demochares, habent *Eliseph*.

NOTÆ AD GRATIANVM. 509

Contius *Elisep*. antiquus Victorinus *Eliphaph*. Colbertinus *Elyseo*. antiqua collectio canonum Lugdunensis *Heliseo*. editio Loaisæ *Elisseo*. Adeo certum est nihil certi statui posse in hujuscemodi rebus. Attamen si quid in re adeo obscura posset affirmari, mallet cedere multitudini testimoniorum & legere *Eliseph*. Nam alioqui hoc nomen magis accedere videtur ad nomina Hispanica illorum temporum, quibus Hispanicæ Ecclesiæ permixtæ erant cum Mauris & Iudeis.

AGABRENSIS] Sic omnino habent vetera Gratiani exemplaria Victorina, Sangermanense, prima editio Moguntina, Loaisa. Vetus editio Veneta *Agabienensis*. Demochares & Contius *Agabiniensis*. Vtrique malè. Rectè codex regius *Egabrensis*. Quo etiam modo scriptum est in vetustissimo libro Ecclesiæ Lugdunensis. Egabro, hodie *Cabra*, ut docet Loaisa, fuit olim sedes episcopalis.

Canonem istum Claromontanum nos primi omnium edidimus ex veteri codice manuscripto monasterij Anianensis, post nostram verò editionem insertus est maximæ & amplissimæ Conciliorum collectioni. Sic autem illic incipit hoc caput: *Die igitur quarta de laicis questio facta est &c.*

Ante Romanam editionem caput istud hanc habebat inscriptionem: *Item Innocentius Papa secundus*. Correctores Romani, quia nesciebant ista decreta ab Innocentio primùm fuisse in Concilio Claromontano, & certò existimabant petita esse ex Concilio Lateranensi ejusdem Innocentij, hæc verba audacter & intrepidè addiderunt, *in Concilio Lateranensi cap. 4.* Extat inter canones ejusdem Claromontani Concilij; ubi desiderantur voces illæ, *Ecclesia &c.* Cetera sunt similia; nisi quòd canon Claromontanus habet *subficiantur* pro eo quod Gratianus legit *subiaceant*.

Refert hunc canonem Africanum Regino lib. 1. cap. 217. De toto porrò isto negotio vide quæ observata à nobis sunt ad illum locum ex libro tertio Salviani adversus avaritiam pag. 270. *Rectius pauperes à se sunt.*

12. q. 2. c. 146.
De laicis.

12. q. 2. c. 147.
Illud quod.

12. q. 3. c. 16
Placuit.

12. q. 4. c. 3.
Presbyter.

Hic canon ex Concilio Arausico cap. 54. refertur à Reginone lib. 1. cap. 219. & à Burchardo lib. 3. cap. 119. Sed isthic observandum est, extare quidem hunc canonem in editione Helmstadiensi Reginonis, sed non in antiquissimo codice MS. quo nos usi sumus. Ivo rectè citavit ex Concilio Agathensi, ubi extat. Vide Cujacium ad titulum Decretalium de peculio Clericorum cap. 2.

DI O E C E S I M] Corrige *diocesim*. Hic magna pars eruditorum hominum peccat, dum scripturam veterum codicum reducere volunt ad originem suam. Vix enim reperias ullum veterem codicem in quo vocabulum illud scriptum sit cum diphthongo. Et tamen ferè omnes qui veteres libros edunt, *diocesim* semper scribunt ubicunque legerint *diocesim*. Hæc admonere alicujus fortean momenti fuerit.

DI O E C E S I M] id est, parœciam, Ecclesiam. Nam sicut parœciæ vocabulum usurpabatur antiquitus ad significandam integram Episcopi diœcesim, uti dictum est in Notis ad Lupum Ferrariensem, ita diœcesis vocabulo exprimebantur interdum singulares Presbyterorum Ecclesiæ, quæ nunc vulgò vocantur Ecclesiæ parœciales. Ruricius Lemovicensis lib. 2. epist. 6. *Has ad sanctitatem vestram per Presbyterum meum pro diœcesi Gemiliacensi, unde jampridem vobis scripseram, destinavi.* Gregorius Turonensis lib. 4. hist. Francor. cap. 13. *Cautinus Episcopus Brivatensem diœcesim psallendo adire disposuerat.* Item lib. 6. cap. 38. *Vrsicinum Cadurcina urbis Episcopum lacessere cœpit, dicens quia diœceses Rutena Ecclesia debitas retineret.* Et libro 1. de miraculis sancti Martini cap. 22. *Quid etiam in Condatensi diœcesi actum sit.* Vide etiam Sidonium lib. 9. epist. 16. cum Notis Savaronis & Sirmondi. Interdum verò diœcesis, quod etiam observatum ab aliis est, sumitur pro tota Episcopi diœcesi, interdum porrigitur ad universam Metropolitani provinciam.

12. q. 5. c. 6.
Sicubi.

In omnibus Gratiani exemplaribus manuscriptis & antiquis editionibus legitur in hoc capite, post hanc diffinitionem à Presbyteris &c. Pro quo Correctores Romani posuerunt post defunctionem ejus à Presbyteris.

In fine istius capituli, quod sumptum esse dicitur ex Concilio Triburiensi, hoc est, ex Burchardo, hæc leguntur: *Similiter de sanctimonialibus*. Atque in his verbis est finis istius causæ duodecimæ in omnibus antiquis codicibus & editionibus. In Colbertino tamen sequuntur constitutiones tres Adriani III. sive potius IV. Leonis IX. & Adriani item quarti, ut opinor, cum hoc titulo: *Decreta de novalibus*. Illarum prior extat in prima collectione Decretalium & apud Gregorium nonum, sed paulò diversa ab ea quæ extat in codice Colbertino. Eam verò Correctores Romani putant esse Adriani IV. ad sanctum Thomam Archiepiscopum Cantuariensem Frustra. Nam Adrianus mortuus est anno M C L I X. mense Septembris. Thomas verò ad sedem Cantuariensem euectus est anno tantum M C L X I I. ut ex actis vitæ ejus collegit illustrissimus Cardinalis Baronius. Leonis noni epistolam ego olim inveneram in Pannormia Ivonis lib. 1. cap. 29. & in aliquot codicibus manuscriptis. Edita est nuper in tomo nono Conciliorum pag. 984. Aliam Adriani epistolam non inveni editam. Itaque visum est eam in hoc loco describere, vel ob eam rationem quòd Decreto Gratiani inserta sit in codice Colbertino.

12. q. 5. e. 7.
Quicumque.

Adrianus Episcopus servus servorum Dei dilectis A. Priori & universis monachis de Pontiden. salutem & apostolicam benedictionem. Nobis in eminenti specula disponente Domino constitutis, si cunctarum jura Ecclesiarum integra non debent & illibata servari, locum beati Petri Apostolorum principis inutiliter obtinere & juxta commissæ nobis dispensationis officium negligenter agere videremur. Sic enim Ecclesia Dei, nobis eam divina providente gratia gubernantibus, rectè suo cursu dirigitur, dum nos errata quæque vigili provisione corrigere & unicuique studemus jus proprium conservare. Dilectus autem filius noster Pontanensis Ecclesiæ Canonicus adversus * nos cum questione deposita, sua nobis relatione monstravit vos quasdam decimationes ad ipsorum jus pertinentes eis violenter auferre & ipsos super eisdem decimationibus ausu temerario

* Leg. vos
conquestione.

infestare : qui si beati Benedicti regulam , juxta quam vivitis , & monasticum habitum quem gestatis , attenta sollicitudine pensaretis , ad proximorum bona diripienda non præsumeretis manus extendere vel quæ alterius juris sunt vobis ita illicitè usurpare . Ne igitur vos de cetero aut avaritiæ malum aut vitium , quod absit , rapacitatis accuset , per apostolica scripta vobis præcipiendo mandamus quatinus nullam antiquam eorum possessionem vel decimationem , & eam præsertim quæ in eo loco qui Arden nuncupatur existit , auferre seu perturbare ulterius præsumatis , & si quid eis præter solitum hoc anno de ipsis decimis negavistis , quascunque etiam ipsorum possessiones per violentiam detinetis , secundum quod antiquitus præfata Ecclesia noscitur possedisse , eisdem Canonicis in integrum restituere omni occasione cessante nullatenus differatis . Nos siquidem religiosi viris non aliàs decimas nisi eas quæ de novilibus provenire noscuntur duximus indulgendas . Si verò hujus nostri mandati ausi fueritis existere contemptores , & ad sedis apostolicæ audientiam querimonia pervenerit iterata , timendum vobis erit ne sentire postmodum debeatis severitatis ecclesiasticæ ultionem .

Sequitur rursus in eodem codice .

Item ex Concilio Ephesino .

Sed & hoc ibidem statutum est de Episcopis , Presbyteris , Diaconibus , & ceteris Clericis , si hereditatem à Domino Rege vel ab aliquo Principe vel amico suo seu per hereditariam sortem sibi devenerit , vel quocunque modo adquisierit , donare eis liceat omnia cuicunque monasterio voluerint , dum vivunt , pro remedio animæ , ad Ecclesiam quamcunque voluerint , vel suis consanguineis vel amicis . Sin * autem obierint quàm firmiter perfecerint , altari cui serviunt omnia perpetuò sanctificentur & vivis tradantur .

* antè

Certum est hanc constitutionem non posse esse ullius Concilij Ephesini & in synodo quadam occidentali posteriorum temporum fuisse conditam . Si quis conjecturæ locus erit , tribuendus est hic canon Concilio

Concilio habito apud Erphesfurt in Germania anno
D C C C X X X I I. Nam caput *Placita* 15. q. 4. tri-
buebatur; olim Concilio Ephesino, cùm sit Concilij
illius Germanici, ut rectè monuerunt Correctores
Romani, & nos quoque infrà ostendimus.

Hæc est inscriptio istius capituli in omnibus anti-
quis Gratiani exemplaribus & editionibus, etiam
utique ad tempora Democharis & Contij: *Vnde Ge-
lasius Papa ait.* Correctores Romani addiderunt:
Episcopis Sicilia epist. 2. c. 2. Regino lib. 1. cap. 18.
citatur simpliciter *ex epistola Gelasij Papa.* Vide lib. 7.
Capitularium cap. 175.

Nescio unde Gratianus acceperit istam regulam
editam fuisse in Concilio Varensi. Sic enim omnino
legitur in omnibus Gratiani exemplaribus manuscri-
ptis & in omnibus editionibus. Regino lib. 1. cap.
125. Burchardus lib. 3. cap. 159. & Ivo par. 3. De-
creti cap. 222. referunt ex Concilio Nannerensi, ubi
extat. Ceterùm de interpretatione istius capituli, in
quo nonnulla sunt intellectu difficilia, pluribus
actum est in Notis ad Reginonem pag. 558.

Primus hunc canonem synodi Triburiensis in epi-
tomen, ut solet, redegit Regino, apud quem extat
lib. 2. cap. 94. Hinc ergo accepit Burchardus, dein
Ivo, ex istis verò Gratianus. De auctoritate porrò
canonum Triburiensium quæ referuntur apud Re-
ginonem, & tamen non extant inter vulgatos cano-
nes ejusdem synodi, vide præfationem nostram ad
Reginonem cap. 10.

Hanc Paschalis secundi epistolam, quæ data est
Troia in Apulia anno M C X V. VI. Kal. Septem-
bris, vir eruditissimus Petrus Franciscus Chiffletius
edidit integram inter probationes historiæ monaste-
rij Trenorchiani pag. 372.

Citatur hoc caput ex Concilio Agathensi, ubi non
extat. Regino lib. 1. cap. 284. illud describens, non
monuit unde acceptum esset. Hic Burchardus, ne
hæc sibi aqua videretur, addidit auctoritatem Aga-
thenis Concilij. Et tamen difficile non erat inveni-
re fontem ex quo Regino derivaverat. Nam cùm is
paulò antè retulisset quiddam ex primo libro Capi-

K k

13. q. 2. c. 16
Facultates.

13. q. 2. c. 151
Præcipien-
dum.

13. q. 2. c. 376
Fures.

14. q. 2. c. 16
Super pruden-
tia.

14. q. 3. c. 46
Vtura.

tularium, & consequenter istud caput absque nomine auctoris, primum erat intelligere acceptum esse ex eodem libro primo Capitularium, ubi extat.

14. q. 4. c. 4.
Siquis.

Caput istud citatur ex Concilio Martini Papæ, id est, ex Capitulis Martini Bracharensis in Concilio secundo Bracharensi probatis. De sensu autem & sententia hujus capituli vide Cujacium ad titulum Decretalium de vita & honestate Clericorum cap. 2.

14. q. 4. c. 7.
Nec hoc quoque.

Iam monuimus ad Reginonem lib. 1. cap. 224 varias esse istius capituli lectiones apud eos qui illo usi sunt. Vide Halitgarium lib. 4. cap. 34.

14. q. 4. c. 9.
Quicumque.

Regino lib. 1. cap. 287. refert ex libro primo Capitularium, ubi extat. Postea verò Burchardus, cum Decretum suum concinnaret, statuissetque secum ne uteretur auctoritate Capitularium, constitutionem illam retulit ad Iulium Papam. Hinc ergo decepti sunt Ivo & Gratianus. Hæc si bene semel observata fuerint, facile erit deprehendere fontes plurimorum Gratiani erratorum.

14. q. 5. c. 12.
Dixit.

Caput istud cum sequenti primus retulit Regino lib. 2. cap. 273. sed in epitomen, ut arbitror, redacta pro more suo. Ex eo deinde descripserunt Burchardus & alij.

14. q. 6. c. 4.
Fur autem.

Regino lib. 2. cap. 272. retulit *ex dictis Hieronymi ad Titum*. Burchardus lib. 11. cap. 55. simpliciter *ex dictis Hieronymi*, in vulgatis editionibus. Sed in vetere libro manuscripto Dionysij Talonij adnotatum non est unde sumptus sit hic locus. Ivo par. 13. Decreti cap. 41. ex Hieronymo tantum.

15. q. 4. c. 1.
Nullus Episcoporum.

EXCEPTO CRIMINALI] id est, negotio, ut adnotat vetus interpres in veteri codice Victorino. Ceterum hæc lectio constans est in omnibus Gratiani codicibus manuscriptis & editis. Sed in Concilio Tarraconensi edito à Garzia Loaisa legitur: *exceptis criminalibus negotiis*. Antiqua & vera lectio extat in vetustissimo codice manuscripto Ecclesiæ Lugdunensis: *excepto criminalia negotia*. Antiqui dicebant *excepto* per omnes casus; & idem verbum sæpe regebat accusativum; ut adnotavimus ad Reginonem pag. 591. Nihil vulgatius in veteri lege Longobardorum, in lege Vvifigothorum, in vetustis exemplaribus

NOTÆ AD GRATIANVM. 515

Capitularium, apud Marculfum, in Chartulario monasterij Casauriensis, & alibi. Quam rem heic omittimus, quia pluribus, Deo dante, de ea agemus in nostra quam paramus editione Capitularium Regum Francorum.

In codice Gratiani Sangermanensi, tum etiam in antiquis editionibus Moguntina & Veneta, denique apud Democharem & Contium, hæc est inscriptio istius capituli: *Item ex Concilio apud Ephesum habito præsentis Rege Henrico.* In recentiori Victorino legitur, apud Ephesim; in antiquiore, apud Herpister. In regio scriptum fuit apud *Exphefum.* sed litera x jugulata deinde est. Colbertinus habet *Ephesur.* Legendum esse *Erphesfurt* docet Antonius Augustinus in dialogo tertio libri prioris pag. 28. & patet ex Burchardo, Ivone, & veteri libro Claudij Putæani. Rectè ergo emendatum sic est in Romana editione. Aliud decretum ejusdem Concilij Ephesini ex codice Colbertino retulimus pag. 512.

15. q. 4. c. 2.
Placita.

DOMINICIS DIEBUS] Vide Reginonem lib. 1. cap. 376 & Notas nostras pag. 575.

Ivo in Pannormia edita parte 5. cap. III. caput istud refert hoc modo: *Vrbanus II. Vapicensi & Diensi Episcopis.* Sed in codice Victorino ita scriptum videtur: *Vrbanus II. Edrensi, Vapicensi, Diensi Episcopis.* Melius antiqua canonum collectio in codice manuscripto monasterij Rivipullensis: *Vrbanus II. Ebreundeni, Vapincensi, Diensi Episcopis.*

15. q. 8. c. 5.
Iuratos.

HUGONI] Sic habent omnes Gratiani codices, uno excepto Sangermanensi, qui *Vvignon* habet. Neque dubito quin ita reponendum sit, cum eodem modo disertè scriptum viderim in codice Rivipullensi. Nam & in Victorino Pannormiæ libro legitur *uugoni.* Quòd si scripturam illam depravatam revocare studeas in viam, facilè invenies scriptum primò fuisse *uugoni*, istud verò à librario facilè mutatum esse in *uugoni.* In Victorino porrò illo codice & in Rivipullensi legitur: *prohibere. Quòd si sacramenta &c. & juraverunt.* Rectè.

FRAGITANUM] In prima appendice Reginonis cap. 31. legitur *Fragitanum.* In antiquis Gra-

15. q. 7. c. 1.
Sexta actione.

K k ij

tiani exemplaribus regio, Sangermanensi, & Victorini, *Fragitanum*. In Colbertino verò & in antiquis editionibus Moguntina & Veneta, *Flagitanum*, quam lectionem retinuerunt Demochares & Contius. Editio Loaisæ habet *Fragitanum*. Sic etiam antiqua canonum collectio Lugdunensis & vetus liber Claudij Puteani. Ostenderunt autem in hoc capite Correctores Romani quantum sibi licere crediderint.

15. q. 7. c. 4.
Felix.

SELEMSELIT.] Antiqua Gratiani exemplaria regum, Sangermanense, Colbertinum, & vetus editio Moguntina, legunt *Selenstanus*. Editio Veneta *Selencitanus*. Codices Victorini *Silenstanus*, Demochares & Contius *Selencitanus*. Correctores Romani *Selemselitanus*. quo modo scriptum est in antiquo codice MS. Ecclesiæ Vrgellensis in quo sincera Isidori collectio continetur. In antiquissimo codice MS. Ecclesiæ Lugdunensis bis scriptum est: *Felix Episcopus Selemselitanus*. Fortassis Episcopus is erat Sillitanus in provincia Numidiæ; cujus sedis Episcopum fuisse Maximum regnante Hunerico Rege reperio in antiqua notitia provinciarum Africae edita à Sirmondo & Chiffletio. Sed tamen nihil affirmare ausim.

16. q. 1. c. 10.
Interdicimus.

Caput istud videtur sumptum ex Concilio Lateranensi Callisti secundi, cum aliquid simile reperiat inter canones ejusdem Concilij à nobis editos ex veteri codice MS. monasterij Anianensis.

16. q. 1. c. 25.
Sunt nonnulli.

Decretum istud Bonifacij IV. reperitur integrum in multis codicibus manuscriptis, editum verò est à Luca Holstenio. Constitutum autem fuit in Concilio Romano cui interfuit Mellitus Episcopus Londinensis, ut docet Beda lib. 2. historiae ecclesiasticae Anglorum cap. 4. *His temporibus venit Mellitus Londoniæ Episcopus Romam de necessariis Ecclesiæ Anglorum causis cum apostolico Papa Bonifacio tractaturus. Et cum idem Papa reverendissimus cogeret synodum Episcoporum Italiae de vita monachorum & quicquid ordinaturus, & ipse Mellitus inter eos assedit anno octavo imperij Focatis Principis, Indictione decimatercia, tertio die Kalendarum Martiarum. Item Henri-*

cus Huntindoniensis lib. III. *Mellitus Episcopus Londonie Romam profectus Concilio Bonifacij Papa interfuit, in quo de vita & quiete monachorum tractavit. Hic est Bonifacius quartus à Gregorio Papa.* Decretum illud totidem verbis, tacito tamen Bonifacij nomine, descriptum est in canonibus Concilij Nemaufensis ab Urbano secundo celebrati.

Fragmentum est ex epistola divi Hieronymi ad Rusticum monachum, qui postea Narbonensis Episcopus fuit. Vide quæ de hoc viro dicta à nobis sunt in libro quinto de concordia sacerdotij & imperij cap. 33, ubi descripsimus hunc Hieronymi locum.

Rectè admonent Correctores Romani duas esse diversas istius capituli lectiones, quarum una, quam omnia vetera Gratiani exemplaria præferunt, habet *aut admissa clericatus militia monasticis non provehantur ordinibus, alia aut omissa clericatus militia monachicis provehantur ordinibus.* Postremam lectionem, ut ab eisdem adnotatum est, habent prima Parisiensis editio epistolarum sancti Gregorij & Anselmus Lucensis lib. 7. cap. 163, Discrimen itaque per eas tempestates magnum erat inter Clericos & monachos, Abbatibus verò non licebat esse Clericis, ut patet ex hoc loco. Singularis istius disciplinæ locus est in Concilio Carthaginensi edito in tomo sexto Spicillegij Dacheriani. *Quæstio erat de monasterio quodam provinciæ Byzacenæ, quod Liberatus Episcopus sibi ob eam causam subjectum debere esse dicebat quia fundatum fuerat à Subdiacono suo Abbate ejusdem monasterij. Negarunt monachi scisse se eum fuisse Subdiaconum. Vnde certò colligitur dimissum ab eo fuisse gradum Subdiaconi cùm in monasterium se abdidit. Hæc sunt monachorum verba pag. 3. Nec ideo nos eum quia Subdiaconus, sed propterea quia monachus fuit, Abbatem habuimus. Vnde etsi forsitan alicui Episcopo aliquando Subdiaconus, nobis tamen monachus fuit. Nec nos heredes honoris ecclesiastici, quem eum habuisse nescimus, sed sanctissima professionis existimus.*

Caput istud sumptum est ex Capitulari Karoli Magni ad Salz cap. 3. Refertur autem à Reginone lib. 1. cap. 26.

16. q. 1. c. 26.
Sic vive.

16. q. 1. c. 38.
Presbyteros.

16. q. 1. c. 44.
Quicumque.

16. q. 1. c. 59.
Quia juxta.

In antiquis Gratiani exemplaribus inscriptio hujus capitis sic habet : *Item ex libro Capitularum Caroli & Lodovici Imperatorum.* Certum est capita quæ in libro primo Capitularium leguntur, Karoli Magni debere esse, si ratio habeatur propositi quod Ansegisus susceperat. Itaque ob eam causam necessarium est caput istud referri ad eundem Karolum. Attamen vir eruditissimus Iacobus Sirmondus, cum videret idem caput constituere initium Capitularis quod à Ludovico Pio editum est anno DCCCXVII. apud Aquisgranum, tum cetera quæ sequuntur capita in eodem libro primo esse descripta, pronuntiavit in tomo secundo Conciliorum Galliæ pag. 684. Ansegisum immemorem propositi & instituti sui, cum librum illum solius Karoli ecclesiasticis legibus destinasset, has etiam Ludovici filij constitutiones injecisse. Censebat ergo Sirmondus caput istud non esse Karoli, sed Ludovici tantum. Sed ego, qui certò scio caput istud verè esse Karoli, ut alibi ostendam, existimo Ansegisum eo deceptum quòd cum intelligeret illud esse Karoli, cetera quæ sequebantur ad eum quoque pertinere putaverit, cum tamen sint ut plurimum solius Ludovici.

ECCLES. DE DIVID.] Ita omnino codex regius, Sangermanensis, & Colbertinus, itémque vetus editio Moguntina. Antiquus codex Victorinus habebat etiam eandem lectionem; sed postea vox *viris* addita est supra lineam post vocem *ecclesiasticis*. In recentiore Victorino legitur *ecclesiasticis personis*. In antiqua editione Veneta, *ecclesiasticis officis*. quam lectionem retinuerunt Demochares & Contius. Verùm vox *officis* non extat in libris Capitularium, unde sumptum est hoc caput.

16. q. 2. c. 2.
Admonemus.

Quatuor paleæ sequentes non extant in antiquis Gratiani exemplaribus Sangermanensi, regio, vetere Victorino, & Colbertino. Habentur tamen in recentiore Victorino, sed absque paleæ nomine.

16. q. 2. c. 6.
Sanè quia,

Hæc constitutio condita primum est anno M XCV. in Concilio Claromontano, dein anno sequenti repetita in Nemaufensi. Vide porrò additionem nostram ad caput 31. libri sexti de concordia sacerdotij & imperij, ubi canon iste editus & multum illustratus est.

CUM ABBAT. CONSENSU] Locus iste aliquam habet difficultatem, adeoque silentio prætereundus non est. Etenim heic tota instituendi Presbyteri auctoritas datur Episcopo, Abbati solus consensus. Et tamen in primâ parte constitutionis electio Presbyteri sive collocatio, ut synodi verbis utamur, tribuitur monachis, consensus Episcopo, dum præcipitur ne monachi in parœcialibus Ecclesiis quas tenent absque Episcoporum consilio Presbyteros collocent. Quod prima fronte videtur esse contrarium. Sed controversia isthæc dirimi ita potest si ratio habeatur usus quem in Ecclesiam statim invexit hic canon Claromontanus. Certum quippe est, eodem tempore quo conditus fuit, intellectum de jure præsentationis fuisse quod Abbates deinceps habuerunt in institutione Presbyterorum qui regerent parœciales Ecclesias eorum monasteriis contributas. Testis erit ipsemet Urbanus auctor conditorque canonis, cujus hæc sunt verba ex epistola ad Hugonem Abbatem Cluniacensem edita in Bibliotheca Cluniacensi pag. 520. *Liceat quoque vobis seu fratribus in Ecclesiis vestris Presbyteros eligere, ita tamen ut ab Episcopis vel ab Episcoporum vicariis animarum curam absque venalitate suscipiant.* quæ verba haud ita multò post repetita inveniuntur in epistola Paschalis secundi ad eundem Hugonem data pag. 522. Anno deinde M C X I. Lambertus Attrebatensis Episcopus, qui Concilio Claromontano interfuerat, Ecclesie beati Petri de Insula concedens altare de Moncellis, hanc cautionem donationi suæ adjecit apud Ferreolum Locrium in Chronico Belgico pag. 268. *Adjicimus etiam ut Ecclesia beati Petri per vos Presbyterum idoneum Episcopo Atrebatensi presentet, qui ei obedientiam promittat, & de vita sua honestate, sicut canonicum est, promissionem faciat, ac deinde curam in populo de Moncellis gerendam gratis suscipiat.* Biennio post Guillelmus Cadurcorum Episcopus statuens in futurum de Ecclesia sancti Stephani Vairiacensis, quæ tenebatur à monachis Tutelensibus, his quæ sequuntur verbis explicavit potestatem Episcopis & Abbatibus datam in canone Claromontano: *Electione & providentia Tutelensis Abbatis & monachorum in sæpe-*

dicta Ecclesia sancti Stephani de Vairiaco sacerdos ponatur; sed nobis presentetur, à nobis curam suscipiat animarum, nobis obedientiam promittat. Eodem modo canonem postea explicavit Eugenius III. in epistola de privilegiis Majoris monasterij Turonensis data anno M C X L V. In parochialibus verò Ecclesiis quas tenetis Presbyteros eligatis, quibus, si idonei fuerint, Episcopi parochia curam committant; ut ejusmodi sacerdotes de plebis quidem cura Episcopo rationem reddant, vobis autem pro rebus temporalibus debitam subjectionem exhibeant. Apertiùs Alexander III. anno M C L X X I X. cùm privilegia confirmaret monasterij Tornodorensis in tomo quarto Gallia Christiana pag. 645. In parochialibus autem Ecclesiis quas tenetis liceat vobis sacerdotes eligere & electos Episcopo presentare; quibus, si idonei inventi fuerint, Episcopus &c. Vnde facillè colligi potest verum esse quod olim observavimus, huic canoni Claromontano imputandam esse originem juris quo hodie utuntur Abbates, quoties sacerdotia vacant quibus animarum cura imminet, quæ ab eorum monasteriis pendent. Destinant enim virum huic ministerio, quem Episcopo presentant. Tum verò Episcopus eum in sacerdotio instituit, si idoneus repertus fuerit. Rursum ea ratione sublata quoque est repugnantia quæ esse initio videbatur in verbis canonis Claromontani.

16. q. 2. c. 7.
Statuendum.

Omnes libri manuscripti & antiqua editio Moguntina legunt: *Item ex Concilio apud Flaventiam habito.* Veneta verò, *apud Faventiam.* quam lectionem secuti sunt Demochares, Contius, & Correctores Romani. Certum est autem hoc quoque caput ex Urbano secundo citari à Gratiano. Itaque mallem legere *apud Placentiam*, cùm manifestum sit nullum apud Faventiam Concilium celebratum esse ab Urbano. Non extare enim omnes Placentinae synodi canones colligi potest ex Bertholdo.

16. q. 3. c. 6.
Inter memoratos.

Certum est omnia antiqua Gratiani exemplaria & omnes editiones repetere hoc caput ex decretis Innocentij Papæ. Primus Antonius Demochares admonuit id haberi in ca. 2. Concilij Spalensis. Atque hinc repetit etiam Burchardus. Reprehendit autem heic

Gratianum Cujacius ad titulum Decretalium de præscriptionibus cap. 9. *Quia indicante.*

Extat hoc caput in prima collectione Decretalium lib. 3. tit. 32. ex Gratiano, ut opinor, descriptum. Et tamen vir clarissimus Philippus Labbeus in tomo decimo Conciliorum pag. 509. existimat Gratianum ista sumpsisse ex collectione Bernardi Papiensis. Sed hanc ejus opinionem uno verbo destruit. Antonius Augustinus in initio præfationis ad antiquas collectiones Decretalium. *Primus post Gratiani collectionem, inquit, Bernardus Circa fuit, Papiensis Præpositus, mox Faventinus Episcopus, qui sub eisdem fere titulis quibus Gregoriana collectio, qua hodie utimur, constat, Pontificum Maximorum epistulas decretales collegit.* Certamen ergo est inter Antonium Augustinum & Philippum Labbeum.

16. q. 7. c. 2.
Congregato.

Caput istud Regino lib. 1. cap. 49. citat ex libris Capitularium, ubi extat lib. 5. cap. 46. Burchardo deinde visum illud repetere ex Concilio Mediomatricis, ubi non extat, ne Capitularium auctoritas alienius apud eum momenti esse videretur.

16. q. 7. c. 7.
Decimas.

Correctores Romani non invenerunt fontem istius capituli, quod in fronte dicitur esse Paschalis secundi. Puto autem conditum fuisse anno M C V I I. in Concilio Trecenti, cui Paschalis præfedit. Ad hoc verò Concilium pertinere videntur etiam tria capita quæ sequuntur.

16. q. 7. c. 16.
Si quis Clericus.

QUOD SI SPRETIS] Ita prorsus habetur in antiquis Gratiani exemplaribus & in aliquot editionibus Concilij Toletani noni ex quo caput istud descriptum est. In duobus tamen codicibus Vaticanis, ut admonent Correctores Romani, legitur: *Quid se superstibus.* quæ lectio melior est. Error ortus ex transpositione literarum. Legendum quippe *prestis pro spretis.* Atque ita legitur in verustissima collectione canonum manuscripta in bibliotheca regia. Immo paulò suprâ, pro eo quod & vulgatæ Conciliorum editiones & Gratianus habent *superstites extiterint,* idem vetus codex regius legit *supprestes extiterint,* antiqua verò canonum collectio Lugdunensis *subprestes.* Quo loco tamen admonendum est in eadem collectio-

16. q. 7. c. 32.
Decernimus.

ne legi paulò pòst, nimirum in loco quem heic emendandum suscepimus, *Quòd si spretis*. Eadem collectio in epistola Innocentij ad Probum de Fortunio & Vrsa legit: *conventumque secunda mulieris priore subprestita de divortio ejecta nullo pacto posse esse legitimum*. In eodem codice Ecclesiæ Lugdunensis lemma canonis quarti Concilij Toletani quinti sic expressum est: *De his qui regnum sibi blandiuntur Rege suprestite*. Et canonis xvi i. Concilij sexti Toletani: *De his qui Rege suprestite aut sibi aut aliis adfuturum provident regnum*. Apud Marculfum lib. 2. cap. 5. pro eo quod editiones habent *subperstes fuerit*, antiquissimus codex regius legit *subprestitis*. quo etiam modo emendandum est in plerisque Marculfi locis. Ex eodem fonte ortum est ut in eodem codice Lugdunensi, pro *superstiriosum*, quæ vox extat in eodem canone quarto Concilij Toletani quinti, legatur *suprestitiosum*. Et in epistola Vigilij ad Profuturum Episcopum Bracharensem, in capite primo, pro *superstitione* scriptum est *subprestitutione* in eodem codice. Adeo facilis est error qui proficiscitur ex transpositione literarum. Contrà, pro eo quod in initio sermonis lxxix. sancti Ambrosij legitur *& illo spreto atque despecto* in vulgatis editionibus, in vetustissimo sermonum ejusdem Ambrosij codice Ecclesiæ Lugdunensis habetur *& illo spetro atque dispecto*. Prestis ergo, ut ad emendationem nostram tandem redeamus, & suprestis significant superstitem. Vnde certò colligi debet legendum heic apud Gratianum esse: *Quòd si prestis eisdem &c.* id est, superstitibus.

16. q. 7. c. 35.
Considerandum.

Regino lib. 1. cap. 242. hoc caput adfert ex libris Capitularium, ubi repertum est. Burchardus è libris Capitularium, ut solet, in peregrinum solum transtulit, constitutionem illam referens *ex decretis Gregorij Papa cap. v.* Vide Franciscum de Roye ad titulum Decretalium de jure patronatus cap. 1. Ceterum ægrè fero initium istius capituli mutatum esse à Correctoribus Romanis, quamvis mutatum sit in melius. Debuerant enim, quod sæpe dicendum est, emendare Gratianum ad vetera Gratiani exemplaria, emendationes verò ex originalibus, ut vocant, adnotare is

marginē aut in Notis, ut factum fuerat à Demochare & Contio.

Istud caput sumptum est ex Reginone lib. 1. cap. 15. q. 7. c. 36. ubi extat iisdem omnino verbis; nisi quòd Gratianus, qui ex Burchardo descripsit, post vocem *con-* *Si plures.*
sensu addidit & *consilio Episcopi*. Est autem epitome tantum canonis Triburiensis; quia solenne est Reginoni sic referre canones istius Concilij, uti jam observavimus. Vide clarissimum virum Franciscum de Roje ad titulum Decretalium de jure patronatus cap. 2.

Ivo parte 6. Decreti cap. 428 & vetus collectio canonum MS. in bibliotheca regia caput istud aliter referunt quàm Gratianus, & quidem pleniore sensu. In Pannormia edita Basileæ capituli istius ea inscriptio est: *Calix III. Hugoni Treverensi & Theorico Virili-*
17. q. 2. c. 1. Gonfaldus.
ensi Episcopis. In editione autem Lovaniensi lib. 3. cap. 183. *Calix III. Hugoni Treverensi & Theorico Verdunensi Episcopis*. Melius in codice Victorino: *Alexander II. Hidoni Trevirensi & Theodorico*. Vbi tamen legendum *Hudone Trevirensi*, ut in Decreto Ivonis & in veteri codice MS. bibliothecæ regię. Vide doctissimum virum Franciscum de Roje in prolegomenis ad tractatum de jure Patronatus cap. 31.

Ista etiam ex Concilio Triburiensi abbreviavit Regino lib. 2. cap. 37. apud quem *immunitate* legitur pro *emunitate*, quæ est lectio Gratiani. Vtraque autem lectio bona est. *17. q. 4. c. 7. Si quis in a-*
trio.

Caput istud ex lege Romana recitat Regino lib. 2. cap. 266. Gratianus heic ex Pœnitentiali Theodori. Sane inter capitula Theodori edita in tomo septimo Spicilegij Dacheriani ista leguntur in cap. 54. *Pecunia Ecclesia furata sive rapta reddatur quadruplum, populari dupliciter.* *17. q. 4. c. 16. Pecunia.*

Decretum illud Ioannis VIII. extat inter acta Concilij Tricassini secundi & apud Ivonem parte 3. Decreti cap. 98. datum ad Episcopos & alios in Hispania & Gothia provinciis degentes, qui libro Gothica legis utebantur. Correctores verò Romani movent eandem epistolam in codice manuscripto datam esse ad Episcopos & Abbates per Narbonensem & *17. q. 4. c. 21. Quisquis.*

Hispanicas provincias constitutos. Quam inscriptionem ego veriore puto. Nam ista decreta esse constat ad suggestionem Sigebodi Archiepiscopi Narbonensis, cujus auctoritati subiecta erat non solum Gallia Narbonensis, sed etiam ea citerioris Hispaniæ pars quæ citra Rubricatum habitatur, ut alibi diximus. Eadem dicta etiam est Gothia per eas tempestates, ut supra observatum est. Hispanicam autem provinciam vocat Ioannes eam partem Hispaniæ, quia verè erat una ex provinciis Hispanicis, licet tum Francorum imperio pareret. E diverso Gallia Narbonensis, cum in Gothorum Hispaniæ Regum potestate esset, Gallicana provincia ab eis dicebatur.

SACRILEG. COMMITTITUR] Hæc non sunt Ioannis Papæ, sed Ivonis Carnotensis aut alicujus verustioris interpretantis legem Ioannis. Istud manifestum est ex verbis Ivonis; qui post relatam Pontificis legem, ista addit: *Huc usque lex Papæ*. Et mox addit: *Sacrilegium enim committitur &c.*

SI QUI S DOMUM] Ista & quæ sequuntur non extant apud Ivonem, sed in collectione quæ Anselmo Lucensi tribuitur lib. 5. cap. 42. ubi dicuntur esse Ioannis octavi.

SI QUI MONAST.] Hæc rursus non extant in loco Ivonis supra relato, licet extent apud eundem parte 3. Decreti cap. 124. & par. 14. cap. 92. & apud Anselmum in eodem lib. 5. cap. 36. ubi refertur ex decretis Ioannis Papæ.

In fine epistolæ, prout edita est in tomis Conciliorum & apud Ivonem, Papa jubet ut decretum istud addatur libro legis mundanæ, id est, libro legis Gothicæ; ne quis existimet heic agi de libris Capitularium Karoli magni, quia constitutionis ejus adversus sacrilegos mentio facta est paulò supra.

Palea ista non habetur in antiquis Gratiani exemplaribus quæ nos vidimus, neque in prima editione Moguntina. Extat tamen in veteri editione Veneta. Regino lib. 2. cap. 43. caput istud retulit ex *Concilio Mogunciacensi cap. 24* & post ipsum Burchardus lib. 6. cap. 7. Ceterum pro eo quod heic & apud Burchardum legitur *cum septuaginta duobus juret*, Regino

17. 9. 4. c. 24.
Qui Presbyterum.

habet *cum duodecim iuret*. quam lectionem esse præferendam ostendimus ad Reginonem. Attramen Antonii Augustinus in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 5. tit. 30. cap. 10. existimare videtur eam lectionem esse meliorem quam Burchardus & Ivo & Palea habent.

ABSQUE SPE CONIUG.] Vide Notas ad Reginonem pag. 582.

Hic canon non extat inter vulgatos canones Concilij Triburiensis. Dubitandum tamen non est de ejus auctoritate, cum relatus à Reginone sit lib. 1. cap. 333.

Palea hæc non habetur in codice regio, Sangermanensi, antiquo Victorino, neque in Colbertino, neque demum in prima editione Moguntina. Extat autem in recentiore Victorino & in antiqua editione Veneta. Regino lib. 2. cap. 41. caput istud refert ex libris Capitularium. Notavimus autem heic malam fidem & versutiam Burchardi; qui ne videretur aliqua accepisse ex libris Capitularium aut ex Reginone, jugulavit quæ illic dicuntur de Capitulari Karoli Magni. Vnde colligi debet Gratianum ex Burchardo accepisse, cum caput istud referat prout à Burchardo decurtatum est. Fons autem capitis est liber quintus Capitularium. Scio illud hodie reperiri in quarto, sed malè. Non extat enim in multis antiquis libris Capitularium ab Ansegiso collectorum. Repertum verò est in libro quinto in veteri codice bibliothecæ regię, in Colbertino, & in Rivipullensi. Citatur denique ex hoc libro ab Ivone in Pannormiæ lib. 8. cap. 6. *ex libro v. Capitular. cap. xc.* (sic enim habetur in Victorino Pannormiæ codice, non autem xx. ut habent editiones) & in antiqua collectione canonum MS. in bibliotheca regia. In regio verò libro Capitularium & in Rivipullensi positum est numero LXXXV. in libro quinto, & numero LXXXVI. in Colbertino. Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 5. tit. 32. cap. 2.

VVIREGILDI] Antea legebatur *Renaldus*. Recentior codex Gratiani Victorinus, qui solus ha-

17. q. 4. c. 253.
Vt Presbyteri.

17. q. 4. c. 26.
Omnes.

bet hanc paleam, legit *versalds*. Rectè autem admo-
nuerunt Correctores Romani legendum heic esse
Vuirigildi.

17. q. 4. c. 27.
Qui Subdiacono-
num.

In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & edi-
tionibus caput istud refertur ex libro quinto Capitu-
larium. Apud Reginonem tamen refertur ex libro 3.
cap. 25. ubi etiamnum extat. Puto hinc fluxisse er-
rorem apud Gratianum quòd caput *Omnes Presbyteri*,
quod re vera est libri quinti, omissum à librario fue-
rit per incuriam dum Gratianum exscriberet, & sub
ea nihilo minùs inscriptione positum caput *Qui Sub-
diaconum*. Variæ autem & admodum diversæ sunt
lectiones istius capituli in libris veteribus, ut alibi
dicemus.

17. q. 4. c. 29.
Si quis sua-
denc.

Capituli istius inscriptio hæc est in omnibus anti-
quis libris & editionibus: *Item Innocentius Papa se-
cundus*. Hæc tantum. Correctores Romani addide-
runt: *in Concilio Lateranensi c. 15*. In Concilio Cla-
romontano ejusdem Innocentij ita legitur: *Item pla-
cuit ut si quis suadente diabolo hujus sacrilegij reatum
incurrerit quòd in Clericos vel monachos manus injece-
rit, anathemati subjaceat*.

RE ATUM] In regio Gratiani libro, Sanger-
manensi, & Victorino recentiore, tum etiam in
Colbertino, legitur, *sacrilegij vitium incurrerit*. An-
tiquus Victorinus habet: *Si quis suadente diabolo
in Clericum vel monachum &c.* Prima editio Mo-
guntina: *sacrilegij crimen incurrerit*. Veneta: *vitium
vel crimen incurrerit*. Admonitio fuit veteris librarij,
ut solebant antiquitus duas interdum ejusdem loci
varias lectiones simul referre in contextu orationis,
lectori arbitrium relinquentes eligendi quàm mal-
let. Quod ita interdum eveniebat. Literarum studio-
si cum legerent librum aliquem, & in eo reperirent
lectionem quæ ipsis non satis sana videbatur, nihil
mutabant, sed tamen in margine vel supra lineam
apponebant lectionem quam putabant esse præfe-
rendam. Post hos librarij qui codices illos describe-
bant, cum putarent omnia describenda esse, etiam
varias illas lectiones uno tenore describebant in con-
textu. Hic est fons plurimorum errorum in anti-

quis libris. Adferri possent multa exempla hujus mo-
 nis. Sufficiet tamen unicum exemplum prioris usus
 ex antiquissimo codice manuscripto monasterij Cor-
 beiensis. In fine commonitorij Vincentij Lirinensis
 vulgò legitur *immoriantur*. At in codice Corbeienfi
 scriptum est *immorentur*, & in margine *vel immo-
 riantur*. Exemplum emendationis positæ supra li-
 neam habetur in libro septimo epistolarum sancti
 Gregorij epist. 64. in qua agitur de causa Primatis
 Byzaceni. In verustissimo itaque codice regio scrip-
 tum est: *Byzacenus primus fuerat accusatus*. Qui po-
 stea libro illo usus est, super voce *primus* addidit *vel
 primas*. Rursum infrà legitur: *Nunc autem isdem
 prima*. Heic rursum super voce *prima* repositum est
 ab eadem manû *vel primas*. Iam si quis hos codices
 descripsisset, facile erat utramque lectionem repo-
 nere in contextu. Itaque ut ad id redeamus unde di-
 gressi sumus, quod heic apud Gratianum in editione
 Veneta legitur *vitium vel crimen incurrerit*, ex more
 libratorum factum est. Eruditorum deinde est ex-
 pendere quænam duarum lectionum præferenda sit.
 Alterutram ergo istarum retinere debuerant Corre-
 ctiores Romani. Dabant enim collectionem Gratia-
 ni, non verò decreta Innocentij secundi.

Caput istud in omnibus Gratiani codicibus manus-
 criptis & editis inscribitur Iohanni Episcopo Vien-
 nensi; nisi quòd in vetere Victorino legitur simpli-
 ter: *Idem Iohanni Episcopo*. Ivo parte 16. Decreti
 cap. 77. legit *Vivanensi*. Certum est nullum ævo Ge-
 labij primi Episcopum Viennæ fuisse Iohannem. Non-
 dum verò instituta cathedra episcopalis erat apud
 Iuvavum sive Saltzburgum. Itaque mutanda neces-
 sariò est inscriptio istius capitis.

Palea ista non habetur in aliquot vetustis Gratiani
 exemplaribus, neque in prima editione Moguntina.
 Extat tamen in antiquo codice Victorino & in anti-
 qua editione Veneta.

Capitis istius hæc inscriptio est in omnibus anti-
 quis Gratiani codicibus & editionibus: *Item Inno-
 centius secundus*. Correctores Romani addiderunt:
in Concilio Roma habito c. 26. & 27. Non extat au-

17. q. 4. c. 33.
Vxor.

17. q. 4. c. 42.
Hanc ergo.

18. q. 2. c. 21.
Perniciosam.

tem in Concilio Claromontano Innocentij secundū.

19. q. 1. c. 1.
Clerici.

MELIOR. VITAM] Contrā Innocentius primus in epistola ad Victricium dixit clericatum esse meliorem gradum comparatione vitæ monasticæ. Quod etiam sensisse Hieronymum facillè colligi potest ex epistola ad Rusticum. Vide Notas ad Lupum Ferrariensem pag. 381. & 501.

19. q. 2. c. 2.
Duæ sunt.

In antiquis Gratiani exemplaribus & in prima editione Moguntina legitur: *Vnde Urbanus Papa in Capitulo sancti Ruffi*. Legendum: *Vnde Urbanus Papa II. Capitulo sancti Ruffi*. Citat finem istius capituli Stephanus Tornacensis in epistola prima. Viri clarissimi Sammarthani fratres ediderunt epistolam ejusdem Urbani ad Arberium Abbatem & Capitulum sancti Ruffi, sed multum decurtatam, in qua fortassis extabat decretum istud. Data est ea Tricastro anno M X C V I. X I I I. Kalend. Octobris.

19. q. 3. c. 1.
Nullus Abbas.

Et hoc quoque caput ex Concilio Eduensi refert Stephanus Tornacensis in epistola mox laudata, iisdem omnino verbis; nisi quod verbum *trahendo* apud illum deest, fortassis per incuriam editoris. Videtur autem hoc caput esse breviarium tantum canonis Eduensis, cum in veteri collectione quæ Anselmo Lucensi tribuitur ista legantur sub finem libri septimi in codice Barberino: *Ex Concilio Eduensi, cui præfuit Hugo Densis Episcopus Romana Ecclesia Legatus. Clerici communem & canonicam vitam professi in nullo monasterio cucullis induantur, vel in aliis Ecclesiis recipiantur, quandiu vigor canonicus in suis locis perstiterit, nisi petantur & concedantur à Prælatibus vel ad regimen animarum vel ad institutionem regularium disciplinarum. Quod si aliter præsumptum, ad Ecclesias suas omnimodis revocentur. Non enim canonicus ordo monastico ordine in aliquo inferior perhibetur. Ceterum nos alibi, Deo dante, plura dicemus de hoc Eduensi Concilio, edituri etiam Hugonis Densis Episcopi tractatorem ad Archiepiscopum Turonensem, quæ eum suffraganeosque ejus evocat ad synodum in Augustodunensi civitate celebrandam iv. Idus Septembris.*

19. q. 3. c. 2.
Mandamus.

Refert rursus hoc caput Stephanus Tornacensis in

in eadem epistola prima. Vide Innocentium III. lib. 3. epist. 4.

MONACH. EFFIC.] Vir illustrissimus Franciscus Bosquetus Episcopus Mospeliensis ad epistolam illam Innocentij III. quam mox laudavimus adnotat heic apud Gratianum legi in codice manuscripto Collegij Fuxensis, *monachus efficiatur sine licentia sui Abbatis*. Verùm postrema illa verba valde sapiunt glossema imperiti hominis, & non sunt omnino hujus loci. Certè non extant in antiquis Gratiani libris & editionibus.

In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus, & in prima editione Moguntina, tum etiam apud Ivonem parte 6. Decreti cap. 411. legitur: *Abbatii sancti Ruffi vel Ruffi*. Sola verus editio Veneta habet *Ruffi*. Malè. Apud Stephanum Tornacensem in eadem epistola caput istud nullam habet inscriptionem. Illud obiter monendum, verba illa, *ad hæc impetrata reverentia, salva reverentia majorum & gratia*, quæ Italico caractere edita sunt apud Stephanum tanquam à constitutione Urbani secundi, non esse tamen Urbani, sed Stephani Tornacensis, adcoque alio caractere scribenda esse.

SINE PATRIS] Ita legit Stephanus Tornacensis, qui sua accepisse videtur ex Gratiano. In aliquot vetustis legitur, *sine patris & totius congregationis*. Quod melius est. Nam & apud Ivonem habetur, *sine Abbatis totiusque congregationis*. In antiqua tamen collectione Rivipullensi deest conjunctio, *sine Abbatis totius congregationis*. Sed lemma capiti appositum in eodem codice est istiusmodi: *Quod nulli Canonico citra licentiam Abbatis & Capituli à claustris discedere liceat*. Vide infra 20. q. 4. cap. 3.

SINE COMM. LIT. CLAUT.] Hanc formam postea servaverunt Romani Pontifices in privilegiis quæ concesserunt monasteriis. Obvia sunt istarum rerum innumera ferè exempla. Sufficiet unicum ex bulla Lucij III. pro monasterio Montis sancti Quintini, quæ edita est à clarissimo viro Luca Dacherio in Notis ad Guibertum pag. 620. *Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eodem*

19. q. 3. c. 3.
Statuimus.

loco professionem, nisi arctioris religionis obtentu, sine Abbatis sui licentia fas sit de eodem loco discedere. Discedentem verò absque communium literarum cautione nullus audeat retinere.

20. q. 1. c. 2.
Addidistis.

Malè omnino Gratianus hoc caput tribuit Gregorio primo, cum sit Gregorij tertij. Vide porrò quæ de hoc argumento dicta à nobis sunt in Notis ad Salavianum pag. 420. secundæ editionis.

20. q. 1. c. 4.
Monachum.

Canon est quadragesimus nonus Concilij Toletani quarti in editione Loaisæ. Habitum autem fuit a. d. c. l. x. x. i. Constitutionem porrò istam edicto suo postea renovavit Chindasvintus Rex, quod extat in libro tertio legis Visigothorum tit. 5. cap. 3.

21. q. 1. c. 3.
Qui plures.

Verum est istam constitutionem Leoni quarto tribui in vetustis Gratiani libris. Sed tamen ego puto dubitari posse an verè sit Leonis quarti. De negotio porrò de quo heic agitur vide Cujacium ad titulum Decretalium de præbendis & dignitatibus cap. 28.

21. q. 2. c. 4.
Sicut.

Caput istud apud Reginonem lib. 1. cap. 243. referatur ex Concilio, ut arbitror, Remensi. unde acceperunt Burchardus, Ivo, & Gratianus. Vide Notas ad Lupum Ferrariensem pag. 371.

21. q. 2. c. 5.
Præcipimus.

Hæc olim erat inscriptio istius capituli apud Gratianum: *Vnde Innocentius secundus*. Correctores Romani addiderunt: *in synodo Romana c. 10*. Rectè, ut opinor; tamenetsi id adnotare debuerant in margine, non verò reponere in contextu Gratiani.

21. q. 4. c. 3.
Episcopi.

VELATO CAPITE] Argumentum heic sumit Zacharias ex capite undecimo prioris epistolæ beati Pauli Apostoli ad Corinthios, ubi deturpare caput suum dicitur mulier orans non velato capite. Vide quæ nos infra adnotamus 33. q. 5. cap. 19.

22. q. 1. c. 12.
Habemus.

Apud Reginonem lib. 2. cap. 311. hæc tantum habentur in fronte istius capituli: *Ex Cap.* id est, ex Capitulis Karoli & Ludovici. Burchardus lib. 12. cap. 2. *Ex dictis Hieronymi Presbyteri*. Nolebat enim, uti jam frequenter observavimus, uti auctoritate Capitularium Regum nostrorum. Hinc ergo facilis est emendatio Gratiani.

22. q. 1. c. 17.
Prædicandum

Ex eodem fortasse fonte orta est falsa inscriptio istius capituli, quod à Burchardo lib. 12. cap. 14. tri-

bitur Eutyachiano Papæ, cum sit Theodulfi Aurelianensis Episcopi, ut rectè monent Correctores Romani. Displicebat enim fortassis homini Germano sive Saxoni appellatio Capitulorum Gallicanorum, ideoque omnia Capitula Regum & Episcoporum nostrorum repudiabat. De decretis porrò Eutyachiano tribuitis plura dicta à nobis sunt in Notis ad Reginonem pag. 579.

Burchardus lib. 12. cap. 25. citat ex Concilio Hibernensi cap. 1. Malè apud Stevartium in excerptis è Burchardo pag. 690. Nivernensi. Inventum est autem nuper hoc caput in antiquissima collectione canonum Hibernensium, unde editum est in tomo nono Spicilegij Dacheriani pag. 23. Ivo parte 12. Decreti cap. 80. & Gratianus referunt ex Concilio Elyvortano cap. 1.

In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus, apud Reginonem lib. 2. cap. 331. Burchardum lib. 12. cap. 5. in codice Talonij, & Ivonem parte 12. Decreti cap. 62. legitur: *Qui perjurat se* etc. Atque ita semper in antiquis libris Capitularium, ubicunque perjurij mentio est.

Certum est clausulam illam, sicut Gunebodigni faciunt, additam Gratiano fuisse à Correctoribus Romanis. Non nego quin ea extet in Capitulari Aquigranensi, quod est fons istius capituli. Verùm cum non habeatur in antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus, addenda illa non erat in contextu orationis, sed in Notis aut in margine. Sanè cum à Gratiano, sive potiùs ab Ivone, ex quo Gratianus descripsit, caput istud citeretur ex libro primo Capitularium, manifestum est ignotam Ivoni & Gratiano fuisse eam clausulam, quia non extat in antiquis libris Ansegisi, quibus addita est à Ioanne Tilio ex constitutionibus, ut puto, Karoli magni editis à Vito Amerbachio. Illud admonere heic debeo, memoriæ lapsu factum esse nuper ut in Notis ad Reginonem pag. 590. scripserim eam clausulam extare in veteri codice MS. Capitularium monasterij Ripullensis. Memoriæ lapsus fuit, ut dixi. Non animadvertēbam enim adnotatum à me esse in libro meo

22. q. 4. c. 17.
Diffinitio.

22. q. 5. c. 2.
Qui pejerat.

22. q. 5. c. 14.
Parvuli.

edito deesse in codice Rivipullensi xxxi. capita libri primi Capitularium, nimirum à capite xxvii, usque ad lxxvi. Gunebodignos porrò diximus ad Reginonem pag. 590. eos esse qui Gundobada lege vivebant.

22. q. 5. c. 16.
Ho. estum.

Duæ antiquitus fuere istius capituli lectiones. Antiqua, quæ sola vera est, quæque extat in omnibus libris manuscriptis Capitularium, excepto Camberonensi, habet: *in sanctis habet jurare*. Quod Gallicè diceremus: *Qui a à jurer*. Hanc lectionem secutus est Ivo Carnotensis in parte 12. Decreti cap. 33. At in capite 69 ubi idem caput describit ex Burchardo, legit *audet pro habet*. Quæ lectio valde mala est. Eam tamen exhibent, ut dixi, vetus Capitularium liber monasterij Camberonensis, Regino lib. 2. cap. 312. Burchardus lib. 12. cap. 12. & Gratianus. Burchardus porrò hanc constitutionem pro sua audacia tribuit Papæ Cornelio, quia nolebat eam laudare ex libris Capitularium. Burchardum secuti sunt Ivo & Gratianus Præceptum Karoli Calvi pro Ecclesia Cameracensi editum ab Auberto Miræo in Notitia Ecclesiarum Belgij cap. 37. *excepto dumtaxat stipite quo Comitum industria, mallo accersito, justitiam Dei & Regis regaliter habet exhibere*.

23. q. 4. c. 17.
Infideles.

Caput istud inventum non est apud Augustinum, sed apud auctorem glossæ ordinariæ, ut monent Correctores Romani. Vide porrò quæ nos de hoc argumento diximus in Notis ad Agobardum pag. 43.

23. q. 4. c. 30.
Guilifarius.

GUILISARIUS] Ita omnino libri veteres & editiones Gratiani. Vnus Anselmus Lucensis, seu is qui collectionem quæ Anselmi esse dicitur composuit, in optimo codice MS. sancti Germani Parisiensis & in Barberino habet *Vilifarius*. quod propriùs accedit ad *Belifarius*. Anselmo antiquior Anastasius Bibliothecarius in vita Silverij ferè semper scribit *Vilifarium*, rarissimè *Belifarium*, non solum in editionibus, sed etiam in vetustissimo codice MS. bibliothecæ Colbertinæ. Ex *Belifario* itaque factus est *Vilifarius*, ex *Vilifario* *Guilifarius*. Idem Anselmus utrobique habet *palatium Pincis* pro eo quod Gratianus in vetustis codicibus & editionibus con-

Anter habet *palatium Principis*. Pinciani palatij mentio est apud Anastasium in vita Silverij. Quamquam non est magnum operæ pretium de re ista certare, cùm manifestum sit caput istud sumptum esse ex supposititia Silverij Papæ epistola, quam illustrissimus Cardinalis Baronius repudiavit ut falsam.

Sumptum est hoc caput ex Concilio Bracharensi primo. Citatur etiam ab Halitgario lib. 4. cap. 6. Reginone lib. 2. cap. 92. Burchardo lib. 19. cap. 130. & in Additione IV. Capitularium cap. 60. Vide etiam lib. 6. Capitularium cap. 70. & lib. 7. cap. 344.

Ivo parte 10. Decreti cap. 54. & vetus liber Claudij Puteani paulò aliter hoc caput referunt quàm extat apud Gratianum. In veteribus Gratiani libris & editionibus inscribitur Gotifredo vel Godefrido Episcopo Lucano. De sensu autem istius capituli videndus omnino Marca in libro quarto de concordia cap. 14. §. 3.

Caput istud non reperitur in regio Gratiani codice, neque in Sangermanensi, neque in antiquo Victorino. Habetur tamen in recentiore Victorino & in Colbertino, tum etiam in antiquis editionibus, ubi refertur ex Concilio Guarmaciensi seu Vormaciensi, ubi hodie legitur. Attamen observandum heic est primum ejus auctorem esse Karolum Magnum, ex cujus Capitularibus citatur à Reginone lib. 1. cap. 24. Vide porrò quæ nos illic adnotavimus pag. 545. Vide etiam Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 3. tit. 34. cap. 1.

Caput est 18. Concilij Lateranensis ab Innocentio secundo celebrati, ut adnotant Correctores Romani. Repertum etiam est in fine Concilij quod idem Pontifex habuit apud Clarummontem in initiis sui pontificatus. Hæc ibi diversa sunt à vulgatis canonibus synodi Lateranensis. *omnimodis laborandum. ignes apposuerit. Et si in hoc mortuus fuerit.*

IN HISPANIA] nimirum in servitio Dei, ut loquitur canon, hoc est, pugnando adversum Sarraenos, qui tum Hispaniæ incubabant, adversus quos propterea institutum erat bellum sacrum. Hispa-

23. 9. 5. c. 12.
Placuit.

23. 9. 5. c. 47.
Excommunicatorum.

23. 9. 8. c. 25.
Sanctum.

23. 9. 8. c. 32.
Pellimam.

nicum enim illud iter non erat simplex peregrinatio religionis ergò, ut diximus in Notis ad Concilium Lateranense Callisti secundi.

24. q. 1. c. 4.
Audivimus.

Certum est inscriptionem istius capituli corruptam esse in omnibus Gratiani exemplaribus manuscriptis & editis. Rectè autem, ut opinor, apud Ivonem parte 14. Decreti cap. 57. legitur: *Guillelmo Marcioni*. In Pannormiæ editionibus lib. 5. cap. 135. legitur ut apud Gratianum: *Alexander II. Valeriano Episcopo & martyri*. Pro quo in optimo Pannormiæ codice Victorino habetur, *Vvillermo Martinioni*. Quærendum itaque deinceps erit quis fuerit ille Marchio Vvillermus.

24. q. 1. c. 5.
Manet.

Hoc caput mirificè, ut solet, illustrat illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis Petrus de Marca in libro quarto de concordia cap. 6. §. 3. & cap. 8. §. 7.

24. q. 2. c. 1.
De commu-
nitione.

Olim duæ fuere istius capituli diversæ editiones. Una, quæ sola bona est, habuit *remedium non differretur*. Altera, quæ bona non est, negationem adjectam non habet. Illam tamen, præter auctores à nobis alibi laudatos, sequitur vetus canonum collector editus in tomo undecimo Spicilegij Dacheriani lib. 2. cap. 65. itémque Hincmarus in opusculo LV. capitulorum cap. 24. Vide Notas ad Reginonem pag. 557.

24. q. 3. c. 18.
Ecce autem.

In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus, itémque apud Democharem & Contium, hæc tantùm habentur in titulo: *Item Prosper*. Correctores Romani addiderunt: *libro secundo de vita contemplativa c. 7*. Certum est tributos olim Prospero fuisse libros tres de vita contemplativa, qui inter ejus opera edi solent, ejusque nomine à Gratiano passim & ab aliis citari solent. Verùm rectè observatum est ab eruditissimo viro Iacobo Sirmondo in tomo secundo Conciliorum Galliæ pag. 683. illos non esse Prosperi, sed Iuliani Pomerij Abbatis Arelatensis. Vide infra dist. 1. de pœnit. cap. 31. *Porro illi*.

24. q. 3. c. 22.
Quiquis.

Burchardi editiones lib. 10. cap. 65. referunt hoc caput ex Concilio Tungrensi, in codice autem Talonico ex Targrensi Concilio. Ivo parte 13. Decreti cap.

ex Concilio Tungrensi, ut apud Burchardum
editum.

CHRISTUM DOMINI] id est, Episcopum,
ut statim dicitur. Res postulare videtur ut heic, cap-
tata occasione, explicem locum quendam sancti Hi-
larij, quòd in ejus interpretatione lapsus esse videa-
tur vir eruditissimus. Verba Hilarij sunt ex libro con-
tra Constantium Augustum jam vita defunctum:
*Quot tu deinde in Ecclesiam Tolosanam exercuisti fu-
reres? Clerici fustibus casti, Diacones plumbo elisi, &
in ipsum, ut sanctissimi mecum intelligunt, in ipsum
Christum manus missa.* Heic vir doctissimus per Chri-
stum intelligit imaginem crucifixi, cum de Rhoda-
nio Tolosano Episcopo intelligi debeat hic locus, qui
propterea missus est in exilium quòd Arrianis esset
contrarius, ut omnes norunt paulò versati in historia
illorum temporum.

Correctores Romani non indicaverunt fontem istius
capitis, quod sumptum est ex Concilio Lateranensi
Callisti secundi.

24. q. 3. c. 23.
Si quis.

Inscriptio istius capituli hæc est: *Item Urbanus Papa.*
Antonius Augustinus in dialogo quinto libri postero-
ris scribit vidisse se veterem codicem in quo caput il-
lud adscriptum erat Urbano secundo. Ego puto esse
canonem Concilij Claromontani, cujus epitome à
nobis olim edita est cum aliquot canonibus ejusdem
synodi. In epitome illa, quæ continet velut narratio-
nem quandam rerum in hac synodo gestarum, ista le-
guntur in capite octavo: *Item etiam expeditio facta
est & constituta est equitum & peditum ad Hierusalem
& alias Asia Ecclesias à Sarracenorum potestate eruenda.
Et in eorum bonis usque ad reditum pax continua
promulgata.* Nisi forsitan tuitio ista personarum ec-
clesiasticarum & peregrinorum distinguatur à tuitio-
ne quæ concessa est euntibus ad bellum sacrum.

24. q. 3. c. 24.
Paternarum.

In decretis Nicolai secundi, quæ nondum in lucem
prodierunt, hæc leguntur in ipso statim initio: *Vt
pax & tregua Domini à fidelibus Christianis reperta
& laudata, sicut scriptura habentur, ita firmiter te-
neantur. Infractores verò anathemate feriantur.* Hinc
ergo patet caput istud esse Nicolai secundi. Et verò

24. q. 3. c. 25.
Illi qui.

non posse esse alterius Nicolai hinc manifestissime colligitur quòd illic agatur de treuga & pace, quæ istius tantum Nicolai seculo reperta est, Nicolai primi ævo audita nondum fuerat.

24. q. 3. c. 39.
Quidam.

Enumerat in hoc capite Gratianus antiquas hæreticorum sectas, Isidorum, ut ipse fateretur, describens. In nonnullis porro paragraphis Græcè hodie leguntur aliqua vocabula quæ in antiquis Gratiani exemplaribus Latinè scripta sunt. Primus omnium Demochares Græcos characteres miscuit cum Latinis Gratiani. Ioannes deinde Quintinus, cum hunc catalogum ex Gratiano descriptum ederet, tum Contius, denique Correctores Romani, Demochari quàm Gratiano similes se esse maluerunt. Ego verò, qui omnino puto Gratianum ne summos quidem Græcæ lingue apices novisse, censeo retinendam fuisse Latinitatem Gratiani, id est, nihil apud illum emendandum nisi ex fide veterum Gratiani exemplarium, novos quin etiam erroresque viri retinendos in editione emendatissima.

25. q. 1. c. 7.
Contra.

Mirum non est Correctores Romanos non invenisse epistolam ex qua sumptum est hoc caput. Nondum enim exierat in lucem. Eam postea edidit illustrissimus Cardinalis Baronius, & post eum Sirmondus in tomo primo Conciliorum Galliæ. Incipit autem: *Multa contra veterem formam &c.*

26. q. 5. c. 5.
Si quis Episc.

Sumptum est istud ex Concilio Tolerano quarto. Sed multò melius editus est hic canon apud Reginonem lib. 2. cap. 352.

26. q. 5. c. 12.
Episcopi.

Extat apud Reginonem lib. 2. cap. 364. absque inscriptione. Burchardus lib. 10. cap. 1. primus illud tribuit Concilio Ancyrano, prorsus malè. Vide Antonium Augustinum in dialogo 14. libri prioris & Notas nostras ad Reginonem pag. 592.

27. q. 1. c. 4.
Nec aliqua.

Codices regius, Sangermanensis, recentior Victorinus, & antiqua editio Veneta sic habent in fronte istius capituli. *Item Ciprianus ad Pomponium de virginitate.* Antiquus Victorinus, *ad Pompinium.* Prima editio Moguntina, *ad Pompinium.* Malè. Sed omnium pessimè Colbertinus: *Item Ciprianus ad populum.* Rectè alij, *ad Pomponium.* Epistola est sexage-

lima secunda Cypriani. Porrò Demochares & Con-
 tius in inscriptione istius capituli retinuerunt *de virgi-*
nitate, & in margine admonuerunt legendum esse *de*
virginibus. Eam emendationem Romani Correctores
 reposuerunt in contextu Gratiani.

MANUS OBSTETRICUM] Rigaltius in ob-
 servatione ad hunc Cypriani locum: *Turpe negotium.*
& nimium curiosi digitis, inter obstetricum manus
virginitas occiditur. Vide Cujacium ad titulum De-
 cretaliū de frigidis & maleficiatis cap. 6. *Frater-*
nitatis.

ZELI DOLOREM] Ita in omnibus antiquis
 Gratiani exemplaribus & editionibus & in aliquot
 etiam Cypriani editionibus. Rigaltius tamen, fretus
 auctoritate codicis Veronensis, maluit *zeli livorem*,
 itaque reposuit in sua editione.

Hujus capituli, prout legitur apud Burchardum &
 Gratianum, fons & origo est Regino lib. 2. cap. 164.
 ut ostendimus in præfatione nostra ad Reginonem
 cap. 17.

27. q. 1. c. 15.
 Impudicas.

ABRUPTUM] Certum est hanc emendationem
 esse optimam, & ita etiam legi apud Burchardum lib.
 8. cap. 29. in editionibus. Attamen in codice Talo-
 nij legitur *arbitrium*. Hinc ergo sumpsit Gratianus,
 apud quem constanter in omnibus antiquis Gratiani
 exemplaribus & editionibus ante Romanam legitur
arbitrium. Vnde colligi certò debet ita omnino scrip-
 sisse Gratianum, neque mutari debuisse.

Istud caput Gratianus accepisse videtur ex Regino-
 ne, cum non reperiatur apud ceteros collectores Gra-
 tiano antiquiores. Apud Reginonem porrò lib. 2. cap.
 165. refertur *ex epistola Gregorij Papa.* Hinc Gratia-
 nus simpliciter: *Item Gregorius.* Putavit Democha-
 res invenisse se hunc locum in epistola nona libri octa-
 vi sancti Gregorij ad Marianum sive Marinianum.
 Verum rectè monuerunt Correctores Romani caput
 hoc vel ex alia epistola acceptum esse vel in eo multa
 esse immutata. Solet autem aliquoties Regino abbre-
 viare veterum loca quæ ab eo referuntur.

27. q. 1. c. 15.
 Pervenit.

Caput istud non extat in codice Sangermanensi, ne-
 que in Colbertino, neque demum in Victorino vete-

27. q. 1. c. 58.
 Viduæ si.

re. In regio autem, ubi extat, hanc habet inscriptionem: *Item ex Concilio Toletano 111. capitulo x.*

27. q. 2. c. 4.
Omnis.

Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 5. tit. 37. cap. 1.

27. q. 2. c. 13.
Additur.

Istud quoque caput accepisse videtur Gratianus ex Reginone, apud quem extat lib. 2. cap. 107. sub finem.

27. q. 2. c. 18.
Lex divinæ.

Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 4. tit. 2. cap. 1.

24. q. 2. c. 20.
Multorum.

Iungendum est istud caput cum capite primo distinctionis 31. *Ante triennium.* Abrogat autem Gregorius Pelagij decessoris sui constitutionem de uxoribus Subdiaconorum. Vnde collegit Erasmus in caput septimum epistolæ prioris ad Corinthios Pelagium & Gregorium Romanos Pontifices diversa & invicem pugnantia statuisse de hypodiatonorum abstinentia ab uxoribus.

27. q. 2. c. 21.
Agathosa.

In prima appendice Reginonis cap. 51. refertur ex *reg. par. 1. cap. 180. ad Adriam Notarium Panormi.* Apud Burchardum lib. 9. cap. 48. ex *reg. Greg. ad Adriam Notarium cap. 80.* Sed in codice Talonij legitur: *Ex reg. Gg. ad Adrianum Notarium cap. LXXX.*

27. q. 2. c. 26.
Scripsit.

Caput istud à Reginone lib. 2. cap. 113. refertur paulò aliter quàm heic habetur expressum. Ex Reginone descripsit Burchardus lib. 9. cap. 49.

27. q. 2. c. 29.
Quod autem.

Burchardus lib. 9. cap. 40. & post eum Ivo parte 8. Decreti cap. 178. citant ex epistola Gregorij ad Ioannem Ravennatem Episcopum. Nescio autem quo modo factum sit ut Correctores Romani in hoc loco admonuerint in Pannormia exprimi nomen Gregorij junioris. Nam in duabus Pannormiæ editionibus Basileensi & Lovaniensi, in loco à Correctoribus adnotato, id est, lib. 6. cap. 115. ita omnino inscriptum est hoc caput: *Exempla Gregorij ad Iohannem Ravennatem Episcopum.* In Victorino verò Pannormiæ codice: *Ex epistola Gregorij ad Iohannem Ravennatem Episcopum.* Fieri potest ut decepti illi fuerint inscriptione capitis 78. octavæ partis Decreti ejusdem Ivonis, quæ ita habet: *Gregorius junior Bonifacio Episcopo. Quod proposuisti &c.* Gratianus heic retulit ex

epistola Gregorij ad Venerium Episcopum Calaritanum. Vtrique malè. Est enim ex epistola Rhabani ad Heribaldum Episcopum Autissiodorensem, ut ostendimus nuper in capite undecimo præfationis nostræ ad eandem epistolam. Ex epistola porrò illa citat Regino lib. 2. cap. 242. Vide infra 33. q. 1. c. 1. *Quòd autem.*

Regino lib. 2. cap. 215. refert hoc caput ex Concilio ad Vermeriam temporibus Pippini, in quo inventum est. Mos autem fuit Burchardo mutare ut plurimum inscriptiones capitum quæ descripsit ex Reginone. Itaque lib. 17. cap. 3. istud retulit ex Concilio Autissiodorensi cap. 6. in editis, cap. VIII. in codice Talonico. Burchardum secuti sunt, ut solent, Ivo & Gratianus.

Regino lib. 2. cap. 217. istud quoque caput refert ex Concilio apud Vermeriam temporibus Pippini, ubi hodie non extat, sed in Compendiensi. Fieri potest ut canones horum Conciliorum in eodem libro descripsi fuerint, sic ut Vermeriense, quod tempore prius erat, priore loco descriptum esset, Compendiense sequeretur, Reginonem verò non semper inventum fuisse ad distinctionem harum synodorum. Fieri etiam potest ut ea tempestate extarent canones multò plures Concilij Vermeriensis quàm nunc extant, eos porrò fortean dein repetitos in Compendiensi. Burchardus & post eum alij referunt ex Concilio Triburiensi.

Regino lib. 2. cap. 156. laudat hunc locum ex libro primo Capitularium, ubi extat. Burchardus, cui Capitularium Regum nostrorum auctoritas in fastidium versa erat, citavit ex Concilio Toletano, ubi non extat. Vide Notas Correctorum Romanorum.

Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 4. tit. 4. cap. 1.

Caput hoc in omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus citatur ex Concilio Vrbanensi vel Vrbanensi. In veteri collectione canonum quæ fuit Claudij Puteani, ex Concilio Vrbanensi VI. Cùm ergo hæc constitutio reperiatur in canone sexto Concilij Arvernensis, mihi dubium non est quin hinc emendanda sit inscriptio istius capituli.

27. q. 2. c. 30.
Qui dormie-
rit.

27. q. 2. c. 32.
Si quis spon-
sam.

27. q. 2. c. 34.
Statutum est.

27. q. 2. c. 51.
Duobus mo-
dis.

28. q. 1. c. 17.
Si quis Iudai-
cæ.

28. q. 2. c. 2. Citat hoc caput Innocentius III. lib. 2. epist. 50.
Si infidelis. ad Episcopum Ferrariensem, ex qua sumptum est caput *Quanto* de divortiis.
29. q. 2. c. 4. Regino lib. 2. cap. 119. citat etiam ex Concilio
Si quis inge- Vermeriensi, ubi extat. Sed apud ipsum, uti nec in
nuus. Concilio ipso, non extat sequens clausula, quæ vide-
tur esse tantum interpretatio superioris partis. *Si au-
tem ancillam eam scierat, & collaudaverat, prout le-
gitimam eam habeat.* Solus Burchardus habet hanc
clausulam. Vide Cujacium ad titulum Decretalium
de divortiis cap. 1.
29. q. 2. c. 7. Refertur à Reginone lib. 2. cap. 203. ubi desunt hæ
Perlatum. duæ voces, *quasitum est*, quas Romani Correctores
abesse scribunt à ceteris collectoribus præter Magi-
strum sententiarum.
30. q. 1. c. 1. Vide Cujacium ad titulum Decretalium de cogna-
Pervenit. tione spirituali cap. 4. *Maritum.*
30. q. 1. c. 2. Regino lib. 2. cap. 218. citat ex Concilio ad Verme-
Si quis filiastr. riam. In fine verò hæc adduntur: *Similiter & mulier.*
30. q. 1. c. 5. Apud Reginonem lib. 2. cap. 196. hoc caput ad-
De eo quod. scribitur Rhabano in epistola ad Heribaldum, unde
sumptum esse & corruptum à Burchardo pluribus
ostensum est in capite decimo præfationis nostræ ad
eam epistolam.
30. q. 1. c. 7. In omnibus vetustis Gratiani exemplaribus & edi-
Ad limina. tionibus legitur *Limozina* vel *Lemoxina*, nisi quòd
prima editio Moguntina habet *Lemovisina*. Verus
quoque codex monasterij Rivipullensis & Anselmus
lib. 10. cap. 30. legunt *Lemoxina*. Citat hoc caput
Stephanus Tornacensis in epistola quinta, ex Gra-
tiano, ut verisimile est. Ceterum Anselmus Lemo-
vicensis Episcopus, ad quem scripta est epistola illa,
synodum suam plenam habuit Lemovicas civitate an-
no DCCCXCVI. ordinationis suæ anno XXVII.
ut patet ex charta edita à clarissimo viro Christopho-
ro Iustello in probationibus historie Vicecomitum
Turenensium pag. 14. Vnde colligitur factum illum
fuisse Episcopum anno DCCCLXIX. Sanè in Char-
tulario Ecclesiæ Lemovicensis extat quædam charta
Frotarij Militis data anno DCCCLXXI. Indictio-
ne IV. regnante Hlødovico Rege filio Karoli Regis

in Equitanorum regno anno v. in qua Anselmus Episcopus nominatur.

Epistolam Zachariæ Romani Pontificis ad Theodorum Episcopum Ticinensem, cujus major pars heic & apud ceteros collectores habetur, nos edidimus integram in appendice actorum veterum quæ adjecta est post Notas ad Reginonem.

Suprà i. q. 5. cap. 2. *Eos qui.* monuimus hanc epistolam verè scriptam videri ad Vitalem Presbyterum Brixensem, tamenetsi nonnulli antiqui codices Brixensem vocent.

Correctores Romani 30. q. 3. c. 5. adnotant epistolam Paschalis secundi ex qua sumptum est hoc caput haberi integram in collectione Anselmi Lucensis lib. 10. cap. 34. Quod verum est. Nam extat in codice Barberino. Sed deest in libro vetere monasterij sancti Germani de Pratis. Vide Cujacium ad titulum Decretalium de cognatione spirituali cap. 4. *Maritum.*

Sumptum est hoc caput ex eadem Urbani secundi epistola ex qua diximus sumpta esse caput *Eos qui.* i. q. 5. c. 2. & caput *Super quibus.* 30. q. 3. c. 4.

Refertur hic canon à Reginone lib. 2. cap. 153. Vide porrò quæ ad explicationem ejus nos illic diximus pag. 585. & 657.

PARANYMPHIS] Paranymphe sunt (ut ait Cujacius ad titulum Decretalium de clandestina desponsatione) qui adsident novæ nuptæ, donec eam sacerdoti benedicendam obtulerint, & deduxerint in domum viri. Quæ tamen omnia si non intervenerint, non ideo matrimonium ullum vitium incurrit.

Correctores Romani adnotant apud Augustinum, unde sumptum est hoc caput, legi : *fieri verum concubium non potest.* Atque hanc lectionem adversùs Gratianum confirmat Cujacius ad titulum Decretalium de eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium cap. 1.

Capitis istius inscriptio in codice Sangermanensi hæc est : *Vnde in Concilio apud Alpheum habito Rege statutum est cap. vi.* In regio & in recentiore Victorino : *Vnde in Concilio apud Alpheum habito presente Corrado Rege statutum est capitulo vi.* In Victorino

30. q. 3. c. 2.
Pitacium.

30. q. 3. c. 4.
Super quibus.

30. q. 4. c. 5.
Post uxoris.

30. q. 4. c. 6.
Quòd autem.

30. q. 5. c. 5.
Sponsus.

31. q. 1. c. 2.
Denique.

31. q. 1. c. 5.
Illud verò.

vetere: Vnde in Conciliis apud Alpheum habitis pres. R. Corrado statutum est cap. vi. In Colbertino: Vnde in Conciliis apud Alfeuum habitis pres. Corrado Rege statutum est cap. vii. Prima editio Moguntina: Vnde in Conciliis apud Alphenum habitis presente Corrado statutum est cap. vi. Veneta: Vnde in Concilio apud Alphesum habito presente Rege Corrado statutum est capitulo vi. Burchardus lib. 9. cap. 34. in codice Dionysij Talonij: Ex Concilio apud Altheum habito presente Kuonrado Rege cap. v. Ita etiam Ivo parte 8. Decreti cap. 211. & in Pannormia lib. 7. cap. 10. In veteri tamen collectione canonum MS. in bibliotheca regia hoc decretum tribuitur Concilio Augustidunensi.

N O L U M U S E N I M] Hanc regulam postea in usum miserunt Romani Pontifices Hadrianus IV. & Alexander III. in causa Gaufredi Comitis Ruscinonensis, qui adulteram pertinaciter retinebat, uti adnotatum à nobis est in appendice synopsis Conciliorum R. P. Philippi Labbei pag. 383.

31. 9. 1. c. 4.
Relatum.

Regino lib. 2. cap. 237. caput istud simpliciter retulit ex Concilio Triburiensi. Adnotant verò Correctores Romani sententiam hujus capituli haberi in canone quadagesimo ejusdem Concilij, sed cum Burchardus hoc citet ex capite tertio, videri alterius esse quod desideratur. Non animadverterunt viri doctissimi magnam in hoc fuisse audaciam Burchardi, qui & capitulum inscriptiones persæpe propria temeritate mutavit, & numeros de suo addidit. Nam quod ad caput istud spectat, manifestum est descriptum à Burchardo fuisse ex Reginone, qui canonem Triburiensem, ut solet, in compendium redegit.

31. 9. 1. c. 6.
Si qua mulier.

Hæc palea non habetur in antiquis Gratiani exemplaribus regio, vetere Victorino, & Colbertino. Exstat tamen in Sangermanensi cum hoc titulo: *Item ex Concilio apud Vermerias.* In recentiore Victorino: *Item ex Concilio Elibertano apud Vermerias.* Quo etiam modo legitur in antiqua editione Veneta, tum etiam apud Democharem & Contium, qui in margine adnotavit caput istud deesse in veteri codice. In prima editione Moguntina hæc tantum habentur: *Ex Con-*

Concilio Elibertino. Vide Reginonem lib. 2. cap. 118. & Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 4. tit. 20. cap. 1. Adnotavit in hoc loco Antonius Augustinus caput istud alicubi peti ex Concilio apud Vermerias, alibi verò sumptum dici ex Concilio apud Vvarmaciam vel Vvormaciam. Cujacius verò ad titulum Decretalium de divortiis cap. 1. volens tollere difficultatem quæ heic remorari posset lectores istarum rerum curiosos, admonuit nihil referre Vermeriam scribas an Vvormatiam. utroque enim nomine eundem locum significari. Præstat autem ponere ipsa ejus verba: *Et ut hoc admoneam, quo cæcutiunt multi, nihil refert Vermeriam scribas an Vvormatiam. Vtroque nomine Vvangionum civitas cognominatur, ubi & Pippinum habuisse Concilium ferè omnes historici narrant.* Verum est Vvormatiam esse civitatem Vvangionum, in Germania superiori, vulgò hodie *Vworms*. At Vermeria, sive Vermeriacum, fuit palatium regium in Gallia, haud procul Compendio, in diœcesi Sueffionensi. Hodie locus ille vocatur *Verberie* & contractiùs *Verberi*. Itaque magnum discrimen est inter hæc duo nomina, immensum spatium inter hæc duo loca.

In omnibus Gratiani exemplaribus manuscriptis & editis, etiam apud Democharem, Contium, & Correctores Romanos, hæc tantum habentur in titulo istius capituli: *Item judicium Urbani Pape.* Ivo parte 8. Decreti cap. 23. & in Pannormia lib. 6. cap. 108. addit: *de filia Iordani Principis.* Quo etiam modo legitur in veteri canonum collectione MS. in bibliotheca regia.

RODELI] Apud Ivonem & in veteri illa collectione bibliothecæ regię scriptum disertè est *Ridelli*. quæ est vera lectio. Notissimum per eas tempestates nomen in Gallia Narbonensi.

OSTENDITUR] Ibidem utrobique legitur ostendetur, quod melius est.

In libris Gratiani regio & Sangermanensi, tum etiam in prima editione Moguntina, legitur: *Item Sanctio Regi Aragonum.* Alij codices manuscripti & editio Veneta, *Sacrato* vel *Sacratio*. Ivo parte 8. De-

31. 9. 2. c. 1.
Si verum.

31. 9. 2. c. 3.
De neptis.

creti cap. 24. *Satino*. In Pannormia edita Lovanii lib. 6. cap. 109. *Item Sanctio Regi Aragonum*. In editione Sebastiani Brant: *Item Sacratio Regi Aragonum*. In Victorino verò Pannormiæ codice: *Urbanis Sancio Aragonum*. Refert hoc caput Hildebertus in epistola 42. sed absque titulo. Rectè in libro Cæsaraugustano, ut admonet Antonius Augustinus in dialogo quinto libris prioris, scriptum erat: *Urbanus secundus sanctio Regi Aragonum*.

32. 9. 7. c. 8.
Fidelis,

ALTERUM DUXIT] Ita vetus editio Veneta. Sed prima Moguntina, itémque veteres codices Sangermanensis, Colbertinus, & recentior Victorinus habent *ducit*. Vbi glossa interlinearis in antiquo codice Victorino ponit: *id est, ducere vult*. Editiones Democharis & Contij habent: *& alterum maritum duxit*. Codex regius & antiquior Victorinus: *& adulteram ducit*. quam lectionem, tameneti prorsùs malam, censeo retinendam apud Gratianum, quia is accepisse videtur ex Burchardo. Burchardus autem ex Reginone fideliter exscripserat, uti diximus in capite xvi. præfationis nostræ ad Reginonem. Nam apud Burchardum lib. 9. cap. 63. legitur *adulterum ducit* in editionibus & in libro Talonico.

32. 9. 7. c. 19.
Quædam.

Probabile est istum canonem esse Concilij Compendiæ quod sub Pippino Rege celebratum est, licèt aliis illic verbis referatur. Hæc sunt verba canonis octavi compendiæ apud Sirmondum: *Si quis homo habet mulierem legitimam, & frater ejus adulteravit cum ea, ille frater vel illa femina qui adulterium perpetrarunt, interim quo vivunt nunquam habeant conjugium. Ille cujus uxor fuit, si vult, potestatem habet accipere aliam*. Breviùs Regino lib. 2. cap. 216. *Si quis cum uxore fratris sui dormierit, adulter & mæcha diebus vite sue absque conjugio maneant. Ille verò cui uxor fuit, si vult, aliam conjugem accipiat*. Burchardus lib. 17. cap. 17. refert ex Concilio Triburiensi cap. 12. iisdem omnino verbis quibus à Reginone relatum erat ex Concilio Vermeriensi.

32. 9. 7. c. 20.
Si quis viduam.

Primus omnium Rhabanus caput istud citavit ex Concilio Mogontiensi in epistola ad Heribaldum cap.

cap. 20. ex quo Regino descripsit lib. 2. cap. 197. Repertum est in eodem capite 26. Concilij Moguntini sub Rhabano ex quo ipse Rhabanus citat. Vide rursum Reginonem lib. 2. cap. 225.

Extat in Concilio Vermeriensi cap. 12. & hinc apud Reginonem lib. 2. cap. 215.

Certum est caput istud à Gratiano tributum esse Zachariæ Romano Pontifici. id quod & antiqua exemplaria manuscripta & veteres editiones probant. Vnde verò ita acceperit Gratianus, non video. Burchardus enim lib. 19. cap. 5. citat ex Pœnitentiali Romano. quod magis placet. Nam & stilus ipse non est epistolaris, & præterea non convenit dignitati pontificiæ.

CONCUBUISTI] *scienter*, ut ait glossa interlinearis in antiquis Gratiani exemplaribus Victorino vetere & Sangermanensi. Quamquam quid opus erat istud adnotare, cum fieri vix possit ut quis insciens sorori commisceatur uxoris suæ? Quod si tamen contingeret, scelus verò illud nullo is unquam tempore intelligeret à se perpetratum, haud dubiè poena teneri non posset quæ adversus incestos istiusmodi statuta est in hoc capite. Non habent enim latentia peccata vindictam, ut ait Innocentius primus in epistola ad Exuperium Episcopum Tolosanum 32. q. 5. c. 23. *Christiana religio.*

NUBAT CUI VELIT] *post mortem mariti*, inquit auctor glossæ. Sed hanc interpretationem apud Petrum Lombardum lib. 4. Sententiar. dist. 34. reprehendit Erasmus in caput septimum epistolæ prioris ad Corinthios, ubi fusè disputat an unquam divortium licitum esse possit inter Christianos. Non dubitabat autem Erasmus quin hæc constitutio verè esset Zachariæ. Itaque ea persuasione imbutus, ex eo etiam refellit Magistrum sententiarum quòd probabile non sit Zachariam prætermisurum fuisse eam interpretationem suæ constitutionis si ea illi mens fuisset quam ipsi affingit Lombardus. *An rem tanti momenti, inquit, taciturnus erat Pontifex si sensisset quod hic interpretatur? Quid si maritus superstes sit uxoris? Nonne jam parerit hac in parte poena nocentis & in*

32. q. 7. c. 21;
Qui dormie-
rit.

32. q. 7. c. 23;
Concubisti,

nocentis? Sanè si quis verba istius capituli expendat paulò diligentius, facillè animadvertet glossam esse contrariam sententiæ quæ illic posita est. Nam femina cujus maritus mortuus est, quæ ideo soluta est à lege viri, privilegio non indiget ut alium ducat. Isthic verò damnatione viri sublato matrimonio, uxori potestas fit in aliam familiam nubendi, quod marito interdicitur. Vnde colligi certò debet regulam hanc esse diversam à generali lege connubiorum, quæ nemo unquam dubitavit quin licita essent inter liberos, id est, inter eos qui matrimonij vinculis adstricti non essent, adeoque auctorem istius capituli non approbaturum hodie, si revivisceret, interpretationem quam huic loco adhibuerunt Petrus Lombardus & Bartholomæus Brixienfis.

32. q. 7. c. 24.
Si quis.

Canon est synodi Vermeriensis, ex qua refertur à Reginone lib. 2. cap. 214.

32. q. 7. c. 25.
Hi qui.

Caput istud sumptum est ex libro secundo sententiarum Pauli in interpretatione, ut etiam observatum est à Correctoribus Romanis. Regino lib. 2. cap. 130. laudaverat ex lege Romana. quod idem est. Vide porrò Notas nostras ad Reginonem pag. 585.

33. q. 1. c. 1.
Quòd autem.

In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus legitur: *Vnde Gregorius scribit Iohanni Ravennati Archiepiscopo.* Apud Burchardum lib. 9. cap. 40. in codice Dionysij Talonij: *Ex epistola Gregorij ad sanctum Iohannem Ravennatem Episcopum.* In vulgatis editionibus & apud Iyonem parte 8. Decreti cap. 178. & in Pannormia lib. 6. cap. 115. *Ex epistola Gregorij ad Ioannem Ravennatem Episcopum.* His itaque auctoritatibus adducti Correctores Romani vocem *Episcopo* reposuerunt apud Gratianum, cum antea legeretur *Archiepiscopo.* Regino lib. 2. cap. 242. rectè citat ex epistola Rhabani ad Heribaldum, ut ostensum est in capite undecimo præfationis nostræ ad epistolam illam. Vide suprà 27. q. 2. cap. 29. *Quòd autem.*

33. q. 1. c. 2.
Requisisti.

Burchardus lib. 9. cap. 44. citat simpliciter ex epistola Gregorij. Fons non est inventus. Vide Cujacium ad titulum Decretalium de conditionibus appositis cap. ult.

Apud Reginonem lib. 2. cap. 244. caput istud refertur absque inscriptione. Burchardus lib. 9. cap. 42. citat ex Concilio apud Compendium cap. 20. Hodie est in Concilio Compendiensi sub Pippino cap. 17.

33. q. 1. c. 3.
Si quis accepit.

Vir clarissimus Iacobus Sirmondus in capite tertio Antirrhethici secundi adversus Petrum Aurelium admonet caput istud sumptum esse ex epistola Hincmari ad Aquitanos, quæ nunc edita est in synodo Tullensi apud Tusiacum tomo tertio Conciliorum Gallia pag. 173.

33. q. 1. c. 4.
Si per fortitias.

NUNQUAM INIUSTO] In epistola ipsa tomo 3. Concilior. Gallia pag. 184. legitur: *sed nunquam vel nusquam iniusto*. Heic meminisse oportet observationis à nobis non uno loco factæ, veteres librarios, cum non satis intelligerent quænam lectio præferenda esset ex duabus quæ illis occurrebant inter exscribendum, utramque ut plurimum posuisse, eo pacto lectori arbitrium integrum relinquentes sequendi quam mallet. Vide Notas ad Salvianum pag. 403. secundæ editionis. Itaque legendum simpliciter, *nunquam iniusto*. Quæ lectio sola habetur in libro 6. Pannormiæ cap. 117. tam in editis quàm in codice Victorino.

Revocanda ad memoriam hoc loco sunt quæ supra observavimus dist. 27. cap. 6. *Quid interrogasti*. & 7. q. 1. cap. 4. *Pontifices*. nimirum epistolam istam Nicolai primi datam esse ad Adalvinum Iuvavensem sive Saltzburgensem Archiepiscopum.

33. q. 2. c. 5.
Inter hæc.

In omnibus antiquis Ivonis & Gratiani exemplaribus & editionibus inscriptio istius capituli hæc est: *Item Stephanus V. Astulpho*. Burchardus tamen lib. 6. cap. 40. refert ex epistola Paulini Forojulienensis Episcopi ad Heistulfum. Itaque nuper ea sub nomine ejusdem Paulini edita est in tomo septimo Conciliorum pag. 1064. ex manuscripto codice Remensi. Neque dubium est quin ea sit vera ac genuina epistolæ istius inscriptio, cum disertæ illius mentio extet apud Flodoardum lib. 3. hist. Remensis cap. 21. in commemoratione epistolarum ab Hincmaro Remensi Archiepiscopo scriptarum. quod observatum

33. q. 2. c. 8.
Admonere.

est in margine epistolæ in tomo septimo Concilio-
rum. Verba sunt Flodoardi: *Vulfado Biturigensi Ar-*
chiepiscopo, de his qui inconsultè uxores suas interfi-
ciunt, sententiam Paulini, quam sibi mitti petierat,
scribens.

33. q. 2. c. 15.
Latorcm.

Inscriptio istius capituli hæc est in libro Sangerma-
nensi: *Item Nicholaus Papa Rodulpho Episcopo sanctæ*
Argenteæ retensis. In regio autem sic: *Item Nicho-*
laus Papa Radulfo Episcopo sanctæ Argenteæ retensis
Ecclesiæ. Sed heic primò scriptum erat *tretensis.* po-
stea prima litera t jugulata est. Antiquus codex Vi-
ctorinus: *Item Nicholaus Papa Rodulpho Episcopo*
sanctæ argenteæ utensis. Recentior: *sanctæ argenteæ*
erecensis Episcopo. Colbertinus: *sanctæ argenteæ re-*
ecensis. Antiquæ editiones Moguntina & Veneta:
sanctæ Ecclesiæ argenteæ retensis. Burchardus, ex quo
alij sumpserunt videntur, disertè scriptum habet lib.
6. cap. 46. *sanctæ argenteæ retensis Ecclesiæ,* etiam in
libro Dionysij Talonij. Anselmus Lucensis lib. 11.
cap. 43. in codice sancti Germani, *argenteæ remen-*
sis. in Barberino, *retensis.* Testatur quoque Beatus
Rhenanus in admonitione de Tertulliani dogmatis
eandem lectionem reperiri in omnibus quos ipse vi-
dit Gratiani codicibus, non excusis modò, verum
etiam manuscriptis, reperisse se porrò epistolam il-
lam in veteri codice adjunctam constitutionibus
provincialis synodi quam Magonciaci habuit Raba-
nus Archiepiscopus. Itaque in editione Rhenani sic
legitur: *Nicolaus &c. Ratholdo Episcopo sanctæ Ar-*
gentoratis Ecclesiæ. Quo postea modo apud Gratia-
num emendarunt Demochares & Contius. Rectè
porrò Demochares, Contius, & Correctores Ro-
mani heic Ratholdi nomen reposuerunt pro Radul-
phi. Nam & ita eum nominat Burchardus, & ea ipsa
tempestate vivebat Radoldus Argentoratis seu
Argentinensis Episcopus, ut fidem facit Iacobus
Vvymphelingius in catalogo Episcoporum Argenti-
nensium his verbis: *Radoldus, vir mirifica sapientia*
præditus, episcopatum vehementer auxit, & diversis
operibus loca sacra exornavit. Sedit annis octo. Obiit
in Domino anno octingentesimo & septuagesimo octa-

vo. Falsus est tamen hoc loco Vvymphelingius; omninoque necesse est Radoldum mortuum esse ante annum DCCCLXXVIII. si verum est ipsum sedisse annis tantum octo. Vel si mortuus est anno illo, sedisse dicendus est annis saltem duodecim. Nam Nicolaus primus, qui epistolam istam scripsisse dicitur ad Ratholdum, obiit anno DCCCLXVII. exeunte.

Primus, ut arbitror, hunc locum protulit Regino lib. 2. cap. 49. ex dictis Ferrandi Diaconi. Postea Burchardus lib. 6. cap. 31. eundem locum referens, accepisse se ait ex dictis Augustini. Quem secuti sunt, non solum Anselmus, Ivo, & Gratianus, sed etiam Alexander III. in epistola XXII. earum quæ à Sirmondo editæ sunt cum epistolis Petri Cellensis. Cùm autem putaret vir doctissimus Ioannes Molinaus hunc locum verè Augustini esse, neque tamen illum inueniret apud Augustinum, ista addidit in margine apud Ivonem parte 10. Decreti cap. 160. *Decerpta hæc videntur ex enarrat. psal. ad vers. Dormivi conturbatus, & proximos.* Quoniam verò locus ille Augustini non sufficiebat ad constituendam integram sententiam istius capituli, Correctores Romani huc descenderunt ut existimarent ex variis Augustini locis confectum esse. Hæc sunt eorum verba: *Caput hoc collectum est ex variis locis B. Augustini, videlicet ex lib. 3. de consensu Evangelistarum, c. 13. explanatione psal. 56. & 63. & tract. 114. & 115. in Ioannem.* Quantum laboris ac tædij ademisset Regino viris doctissimis, si tum editus ille fuisset!

Iam antea adnotatum est suprâ 24. q. 3. c. 18. *Ecce autem.* libros de vita contemplativa non esse Profperi, sed Iuliani Pomerij. Qua observatione utendum etiam est in hoc capite & in capite *Charitas.* dist. 2. de pœnit.

VOLUNT. EXCOMM.] Elegans est locus Cæsarij Episcopi Arelatensis ex homilia prima inter eas quæ à nobis editæ sunt: *Et hoc attendite, fratres, quod qui pœnitentiam petit, excommunicari se supplicat.* Vide reliqua.

ORET P. V. ECCCL.] Vide Cæsarium Arelatensem in eadem homilia prima.

M m iij

DE
POENITENTIA.
Di. I. c. 23.
Perniciosè.

Di. I. c. 31.
Porro illi.

Di. I. c. 32.
Facilius.

Di. I. c. 44.
Agite.

Di. 2. c. 15.

Quia radix.

Di. 5. c. 2.

Qualitas.

33. q. 5. c. 3.

Mulier.

Vide eundem Casarium in homilia nona & decima de nostris.

Vide Rhabanum in epistola ad Heribaldum cap. 15. & Reginonem lib. 1. cap. 313.

Caput istud sumptum est ex canone tertio Concilij Compendiensis sub Pippino Rege. In Concilio ipso legitur: *Mulier si sine comeatu viri sui velum in caput miserit, si viro placuerit, recipiat eam iterum ad conjugium.* In libro autem quinto Capitularium cap. 16. *Mulier si sine comiato viri sui &c.* Latini veteres comeatum dicebant pro facultate, potestate, licentia, sed ut plurimum in rebus bellicis. Annibal ad milites apud Livium lib. 21. *Si quis vestrum suos invisere vult, comeatum do.* Apud Suetonium in vita Tiberij accipitur pro potestate abeundi: *Requiem laborum pratendens, comeatum petiit.* Et paulò post: *Facta tandem abeundi potestate.* Inutile esset ista probare pluribus testimoniis. Postea, labente bona Latinitate, vocabulum illud usurparum est simpliciter pro potestate seu permissione. Concilium Vernense sub Pippino cap. 9. & lib. 5. Capitularium cap. 42. *Si quis Presbyter ab Episcopo suo degradatus vel excommunicatus fuerit, & ipse per contemptum postea aliquid de suo officio sine comeatu (in Capitularibus, comiatu) facere presumpserit &c.* Eddo Argentinensis Episcopus apud Franciscum Guillimannum in Episcopis Argentinensibus pag. 107. *Ideo placuit nobis per comeatum Domini nostri Pippini gloriosi Regis.* Hinc factum ut Regino, cum describere statuisset hunc canonem Compendiensem in sua collectione, ita scripserit lib. 2. cap. 126. *Mulier si sine licentia mariti sui &c.* Reginonem secutus est Burchardus lib. 9. cap. 47. Falluntur enim vehementer aut fallunt qui scribunt Burchardum in hoc loco usum esse voce *comiato*. Nam & in editionibus & in codice Talonico disertè scriptum est *licentia*. Hinc rursus factum ut duæ deinceps fuerint istius canonis editiones; una vetus, quam librarij retinuerunt in libris Capitularium; alia recens ac nova, quam collectores canonum & decretorum post Reginonem usurpare maluerunt. Ivo Carnotensis Episcopus utramque posuit in

suo Decreto, antiquam parte 9. cap. 124. ex libro quinto Capitularium, aliam par. 8. cap. 185. ex Concilio, ut ipse ait, apud Compendium cap. vi. sed re vera ex Burchardo, apud quem hæc ipsa verba habentur. Gratianus novam tantum lectionem retinuit, quæ tum apertior videbatur. Et tamen non multo ante Gratianum vox *comiatum* adhuc in usu erat haud procul Gratiani patria, nimirum apud Langobardos. Extant enim in Chartulario monasterij Casauriensis acta vetera, in quibus sic habetur: *In Dei nomine. Ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi anno M XLVII. mense Ianuario, Indictione xv. Ideoque ego Raimundo filius quondam Grimaldi, & ego Beledruda filia quondam Coni, quæ sum sociata in conjugio Raimundo viro meo, consentiente mihi Beledruda ipso jamdicto Raimundo viro meo, & ego Raimundus comiatum dedi & consentiens sum tibi jamdicta Beledruda conjugi meo.* Et paulò post: *Declaro enim quia statutum est in ipso Capitulari Domni Imperatoris, & Dominus Karolus Imperator instituit in suo Capitulari, ut quacumque femina libera Langobarda per comiatum viri sui potestatem habeat de rebus suis vendere aut donare.* Item in aliis actis biennio post confectis. *Ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi anno M XLVIII. mense Octobri, Indictione III. Ideo constat me Tederadam filiam quondam Luponis, conjugem Iohannis. Declaro enim quia Dominus Karolus Imperator constituit in suo Capitulari ut quæque femina potestatem habeat per comiatum viri sui vendere & donare, & cuicumque venderet, firmum & stabile permaneret.* Et ego Iohannes filius quondam Transarici comiatum dedi tibi Tederada conjugi meo. Acta ista descripta sunt ex vetustissimo Chartulario monasterij Casauriensis, quod mecum pro humanitate sua & amicitia nostra communicavit vir clarissimus & literati orbis fulgentissimum sidus Antonius Vion Herovallius.

Hoc caput Regino lib. 2. cap. 125. retulit ex Concilio Vermeriensi, ubi extat. Postea Burchardus lib. 9. cap. 46. Remense Concilium pro Vermeriensi, ut solet, substituit. Burchardum descripsit Ivo parte 8.

M m iiij

33. 9. 5. c. 107
Qui uxorem.

Decreti cap. 184. & in Pannormia lib. 6. cap. 82. Verba autem illa, *sed similiter convertatur*, quæ in fine capitis habentur apud Burchardum, Ivonem, & Gratianum, non extant in Concilio Vermericensi neque apud Reginonem. Addita autem illa fuisse puto à Burchardo, ne fortean accepisse videri posset à Reginone.

33. 9. 5. C. 19.
Mulier.

Heic sanctus Ambrosius dicit mulierem debere velare caput, quia non est imago Dei. Addit deinde, illam, ut ostendatur subjecta, & quia prævaricatio per illam inchoata est, hoc signi debere habere ut in Ecclesia, propter reverentiam episcopalem, non habeat caput liberum, sed velamine tectum. Interpretatio est capitis undecimi prioris epistolæ Pauli ad Corinthios, ubi scriptum est debere mulierem potestatem, id est, velum signum subjectionis & prævaricationis, habere supra caput propter angelos, id est, ut vulgò interpretantur, propter Episcopos & Presbyteros, qui angeli Dei vocantur. Quò respexisse etiam videtur Tertullianus in libro de corona militis, ubi scribit feminam nudo capite videri non debere propter angelos. Explicandus autem heic obiter est, data occasione, canon XLII. Annacharij Episcopi Augustodunensis, in quo sic vulgò legitur: *Vt unaquaque mulier, quando communicat, dominicalem suum habeat. Quòd si qua non habuerit, usque in alium diem dominicum non communicet.* Baronius, Binius, Vossius, alij, existimant heic per dominicalem intelligi linteolum illud cujus mentio est apud Augustinum in sermone 252. de tempore, sive ille Augustini sit, sive alius cujuscumque. *Mulieres*, inquit, *nudum exhibent linteolum ubi corpus Christi accipiant.* Sed ego semper aliter sensi, omninòque ita existimavi, dominicale illud fuisse genus quoddam velaminis absque quo non licebat feminis accedere ad sacram communionem. Atque ut in ea etiamnum sententia perstem facit antiqua collectio canonum Andegavensis, in qua canon ille sic ad verbum legitur tanquam ex Concilio Martisconensi. *Si mulier communicans dominicale suum super caput suum non habuerit, usque ad alium diem dominicum non communicet.* Quare fixum ac constans

esse debet dominicale fuisse velum quo mulieres operiebantur eo tempore quo accedebant ad eucharistiam percipiendam. Vide suprâ 21. q. 4. cap. 3. *Episcopi*.

PROPTER REVERENDI EPISCOPI.] Sic explicat Ambrosius locum Pauli. Sic etiam multi alij explicarunt. Attamen Iacobus Gothofredus, pro eo quod apud D. Paulum legitur *ἕνεκεν τῶν ἀγέλων*, legendum esse putat *ἕνεκεν τῶν ἀγελαίων*, id est, propter greges juvenum. Sed hanc interpretationem rejicit vir clarissimus Franciscus de Roje in libro secundo de juribus honorificis in Ecclesia cap. 14. licet emendationem Græci textus non omnino improbet. Ego arbitror retinendam esse antiquitatem, explodendam novitatem, juxta monitum Vincentij Lirinensis.

Inscriptio istius capituli hæc est in codicibus manuscriptis: *Item Innocentius Papa*. Vel: *Item Innocentius Probo*. Quo etiam modo legitur apud Ivonem in Decreto. In Pannormiæ editionibus legitur: *Innocentius Papa Probo Episcopo*. Sed in optimo libro Victorino hæc tantum habentur: *Innocentius Probo*. quod melius est. Itaque malè in prima editione Moguntina legitur: *Item Innocentius Papa Probo Episcopo*. Melius Veneta: *Item Innocentius Papa Probo*.

34. q. 1. c. 2.
Cum in cap.
tium

CUM CONSTITUTA.] Legendum *Restituta* auctoritate omnium veterum Gratiani librorum & editionum. Hoc enim est proprium nomen mulieris quam Fortunius duxerat cum Virsa tenebatur in captivitate, ut adnotatum etiam est supra lineam in codicibus Sangermanensibus & antiquo Victorino. *Restituta* quoque vocatur in collectione decretorum Innocentij primi apud Dionysium Exiguum, tam in veteribus libris quam in editionibus, & apud Ivonem parte 8. Decreti cap. 245. & in Pannormia lib. 6. cap. 89. denique in antiqua collectione canonum Lugdunensi & in vetustissima item collectione monasterij Rivipullensis.

Caput istud sumptum est ex canone nono Concilij Vermeriensis, non à Gratiano quidem, sed ab Ivone, qui primus illum in compendium redegit quemadmodum extat apud Gratianum. Regino integrum illum retulit lib. 2. cap. 124. itemque Burchardus lib. 9. cap. 54. Sed apud Burchardum de-

34. q. 1. c. 4.
Si quis nec

sunt verba sequentia: *aut seniozem suum, cui fidem & fidelitatem promissam mentiri non potest, secutus fuerit &c.* Postrema porrò pars canonis non extat apud Ivonem neque apud Gratianum.

34. q. 1. c. 6.
In lectum.

Regino lib. 2. cap. 206. Burchardus lib. 17. cap. 4. & Pœnitentiale Romanum Antonij Augustini tit. 3. cap. 5. citant hoc caput ex Concilio Triburiensi, ubi non extat. Sed meminisse heic oportet observationis quam protulimus in capite decimo præfationis ad Reginonem, nimirum plurimos canones Concilij Triburiensis à Reginone relatos qui nunc non extant, non ideo tamen rejiciendos, ob auctoritatem & perspectam bonam fidem hominis.

34. q. 1. c. 7.
Ego dixi.

Palea ista non extat in antiquis Gratiani exemplaribus manuscriptis. Habetur autem in vetustis editionibus Moguntina & Veneta. Et certè additum Gratiano fuisse istud caput vel ex eo manifestè colligitur quòd inscriptio sequentis capituli ita omnino habet etiam in editionibus quæ habent hanc paleam: *Vnde in eodem Concilio legitur.* Quo etiam modo editum est à Demochare & Contio. Correctores Romani addiderunt vocem *Triburiens.*

34. q. 1. c. 8.
Si quis cum
duabus.

Regino lib. 2. cap. 208. & post eum Burchardus lib. 17. cap. 5. citant ex Concilio Triburiensi. Neque dubium esse potest, post testimonium Reginonis, quia verè sit illius Concilij.

35. q. 2. c. 11.
Extraordina-
ria.

Certum est antiquas editiones & aliquot manuscripta Gratiani exemplaria sic habere in titulo istius capituli: *Ait enim Urbanus Papa secundus Gratiano Neapolitano Episcopo.* Sed in vetere Victorino est, *Gratiano apolitano Episcopo.* Sic etiam primò scriptum fuit in codice regio; sed postea supra lineam inter has voces *Gratiano & apolitano* addita est syllaba *ne*, unde factum est *Gratiano neapolitano.* Vitiosa lectio, quam rectè emendarunt Correctores Romani. Nam scriptam esse epistolam ad Hugonem Episcopum Gratianopolitanum testis est omni exceptione major Ivo Carnotensis Episcopus in epistola 232. uti illic observavit Franciscus Iuretus vir eruditissimus.

35. q. 2. c. 14.
Sanè confang.

In Colbertino Gratiani codice sic habet inscriptio

istius capituli: Item *Ysidorus*. In recentiori *Victorino*: Item *Ysidorus ex Concilio Maticensi provincia*. In regio: Item *Ysidorus ex Concilio Maticensi*. In Sangermanensi & *Victorino* vetere: Idem *Ysidorus vel ex Concilio Maticensi*. Prima editio Moguntina: Item *Ysidorus ex Concilio Maticensi*. Veneta: Item *Ysidorus ex Concilio Maciensi*. quo etiam modo editum est à Demochare & Contio. Correctores Romani: Item *Ysidorus ex Concilio Manciensis*. Ivo parte 9. Decreti cap. 44. *Ex Concilio Manticoeno sive Manticoeno*. In Pannormia lib. 7. cap. 69. *Ex Concilio Maciensi*. *Matice*, cum legendum sit *Maticensi* auctoritate libri *Victorini*. Sanè cum Ivo ista acceperit ex *Burchardo*, non aliter legere potuit quàm scriptum ab illo fuit. At *Burchardus* lib. 7. cap. 8. scripsit: *Ex Concilio Maticensi cap. 3*. Non reperitur tamen inter canones Conciliorum Matisconensium. Sed in capite 29. Concilij quod apud Cabillonem habitum est ævo *Caroli Magni* eadem ferme verba habentur quæ in isto capite leguntur.

Refertur hoc in exceptionibus *Egberti* cap. 130. & in prima appendice *Reginonis* cap. 30. tum etiam apud *Burchardum* lib. 7. cap. 19. & 20. Ex illo portio collegit *Cujacius* ad titulum *Decretalium de consanguinitate & affinitate* cap. 5. affinitatem quæ contracta est inter cognatos viri & uxorem, tum etiam inter cognatos uxoris & virum, morte alterius conjugis non perimi in superstite.

Regino lib. 2. cap. 226. rectè citat ex Concilio *Moguntiacensi*. *Burchardus* lib. 7. cap. 18. ex Concilio *Cabillonensi*, non rectè. Ex *Burchardo* descriperunt *Ivo* & *Gratianus*. Hinc origo falsæ inscriptionis istius capituli. Vox *inventum* non habetur apud *Reginonem*.

Caput istud à *Gratiano* refertur ex *Isidoro*. In margine verò *Demochares* ista addidit: *Isido. c. 6. li. 9. lxxviii*. Secuta est deinde editio *Antonij Contij*, ubi addita est in margine nota *Democharis*; & consequenter diverso charactere *Contius* ita heic scripsit: *Non extat in his quæ vidi Isidori exemplaribus vel impressis vel manuscriptis*. Deinde lib. 1. lectionum sub-

35. q. 2. c. 20.
Quædam lex.

35. q. 2. c. 21.
Contradictio.

35. q. 5. c. 2.
Series.

seciviarum juris civilis cap. 10. ait valde mirari se extitisse quosdam tantæ falsitatis confirmatores, qui & librum & caput quo apud Isidorum invenirentur notaverunt ad marginem librorum. *quibus, inquit, in tam aperto mendacio nulla venia suffragatur.* Videndus heic Antonius Augustinus in dialogo sexto libri prioris & in dialogo decimo libri posterioris.

35. q. 5. c. 6.
Primo gradu.

Rursum heic excandescit in eodem capite lectionum suarum Contius adversus eos qui Pauli I. C. verbis heic abusi sunt sub nomine Isidori, cum non extant apud Isidorum. Conqueritur autem præterea fraudem factam fuisse in contaminandis Pauli verbis & cum barbari cujusdam interpretis ineptiis commiscendis. Itaque caput istud omnino emendandum est ex libro quarto Sententiarum Pauli tit. xi. Vide iterum eundem Augustinum in dialogis mox laudatis.

35. q. 6. c. 2.
Videtur.

Palca ista non extat in antiquis Gratiani exemplaribus regio, Sangermanensi, Colbertino, ac vetere Victorino. Habetur tamen in recentiore Victorino & in antiquis editionibus Moguntina & Veneta. Vide Cujacium ad titulum Decretalium *Qui matrimonium accusare possint* cap. 3.

35. q. 6. c. 3.
Notificamus.

In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus caput istud inscriptum est Richario vel Richardo Episcopo Ianuensi. Codex Sangermanensis Ricarium Genuensem vocat. Verus collectio canonum Rivipullensis: *Ciriacho Genuensi Episcopo*. Ivo parte 9. Decreti cap. 33. *Cyriaco*. In Pannormia edita lib. 7. cap. 85. *Richardo Ianuensi Episcopo*. In codice Victorino: *Cariaco Genuensi Episcopo*. Legendum *Cyriaco*, ut monet Ferdinandus Vghellus tomo quarto Italiae sacrae pag. 1164. ubi adnotat Cyriacum factum fuisse Episcopum Ianuensem circa annum M X C. eamque Ecclesiam rexisse annis quatuor.

35. q. 6. c. 4.
Si duo.

DEF, UXORIS] Omnes antiqui libri & veteres editiones, etiam apud Democharem & Conantium, habent: *duo ex propinquieribus jam defunctæ uxoris vel viva ejus qui accusatur hanc &c.* Caput istud sumptum esse dicitur ex Concilio Vrbano

in Papa habito in Apulia, id est, ex Concilio apud Melphiam, vel ex Concilio apud Troiam.

Regino lib. 2. cap. 231. fons est & origo istius capituli. Sed verba illa, & ista sanctorum reliquia, quæ reguntur apud Burchardum, Ivonem, & Gratianum, non extant apud Reginonem.

Et istud quoque caput Burchardus sumpsit ex Reginone lib. 2. cap. 232.

Nuper in Notis ad Reginonem pag. 579. diximus decretum istud non esse Eutychni Papæ, sed formalam fuisse secundum quam Episcopi interrogare debebant laicos in unaquaque parœcia.

IN SYNODO] id est, in conventu habendo in ecclesia cum Episcopus ad illam accedet visitaturus.

Vide Notas ad Reginonem pag. 578. Addendus vero nunc est insignis locus ex vita sancti Vdalrici

Episcopi Augustani ab incerto sed antiquo auctore descripta, qui in capite sexto tractans qualiter dioc-

esim visitavit, ita ait: *Ad loca autem illa cum per-*

uenisset ubi Concilia sua denunciata fuerant, cum

euangelio & aqua benedicta & sonantibus campanis

in tanta honorificentia susceptus est quantum illis qui

congregati sunt viris suppetebat. Statim vero Miss-

am celebrata in Concilio confidens populum ante se vo-

care fecit, prudentioresque & veraciores sacramento

interrogare precepit qua in illa parochia emendatione

peccata fuissent & contra jura Christianitatis perpetrata,

ut ei veraci relatu nota fierent facta. Vide

aliqua.

SYNODALEM CAUSAM] id est, quæ ad Episcopi cognitionem pertineat, quæ judicari de-

bet in synodo Episcopi cum consilio Clericorum

et laicorum, ut patet ex laudata vita sancti Vdalrici.

Vide Notas ad Reginonem pag. 579.

Caput istud extat apud Reginonem lib. 2. cap. 233.

sed paulò diversum ab editione Gratiani. Itaque Gra-

tianus descripsit ex Burchardo lib. 7. cap. 27.

Et hoc quoque caput ex Reginonis lib. 2. cap. 240.

descripsit Burchardus lib. 9. cap. 81 ex quo postea

extat ex Ivone Gratianus accepit. Ceterum fons isto-

35. q. 6. c. 5.
De parentela.

35. q. 6. c. 6.
Istud.

35. q. 6. c. 7.
Episcopus.

35. q. 6. c. 9.
Ab isto die.

35. q. 6. c. 11.
Ab isto die.

35. 7. 10. c. 1.
Fraternitatis.

Epistola ista inventa non est inter epistolas sancti Gregorij, nec ullus aetate illius fuit Venerius Episcopus Calaritanus. Non reperi porrò illam apud auctorem ullum Anselmo Lucensi Episcopo antiquiorem, apud quem extat lib. 10. cap. 35. in codice MS. sancti Germani Parisiensis, ubi manu antiqua scriptum est in margine: *Aposfricum caput*. Apud Anselmum verò, post ultima verba à Gratiano relata, hæc adduntur in fine epistolæ. *Sed ne Domini constitutio vel iussio cassaretur, & ne tellus à proprio vacaret ornatu, Spiritu sancto reflante, posuit terminum constitutio sancta sanctorum. Ait autem præceptio sancta divina: Crescite & multiplicamini & replete terram. Posuit enim Dominus terminos caussis, aetatibus seculi finem statuit, compaginibus membrorum hominum posuit numerum. Lex Ecclesiæ regulæque sanctorum cognatio mortalium agnatis atque affinibus terminum reciprocationis instituit. Quod valde metuendum exterminare sancimus; quique exterminare non metuit, catholicus non esse convincitur.* Miror autem epistolam istam non fuisse insertam amplissimæ collectioni Conciliorum, cum illic in tomo quinto pag. 1578. edita sit alia supposititia sancti Gregorij epistola ad Felicem Episcopum Messanensem. Facile enim conjungi ambæ poterant.

36. 9. 2. c. 8.
Tria legitima.

Caput istud adjectum vidi libris Capitularium in veteri codice MS. bibliothecæ regiæ, in altero Oratorij Trecentis, & in tertio nostro. Utrobique autem hanc habet inscriptionem: *De legitimis conjugis. Hieronymus ait. Tria legitima &c.* Regino quoque lib. 2. cap. 107. istud ipsum refert ex dictis Hieronymi.

DE
CONSECRATIONE.
Di. 1. c. 9.
Nemo Ecclesiam,

OSTENSA DONATIONE] id est, dote basilicæ per donationem cartulæ confirmata, ut loquitur Concilium Bracharense secundum apud Reginonem lib. 1. cap. 23. Debet autem dos illa sive donatio gestis municipalibus alligari, ut docet sanctus Gregorius lib. 2. Indict. 10. epist. 9. *Percepta primitus donatione legitima gestisque municipalibus alligata.* Donationem illam dotis nomine expressit Zacharias Papa in epistola ad Pippinum Majorem Domus cap. 15. si modò vocula *tot*, quæ nullum heic sensum habet, mutetur in vocem *dote*, ut par est. Hæc sunt enim

verba Zachariæ Gregorium describentis & interpretantis: *Percepta primitus donatione legitima, id est, præstante tot, gestisque municipalibus allegata.* Nemo enim non videt legendum illic esse *præstante dote.* Vide Notas ad Reginonem pag. 543.

Certum est hoc caput apud Gratianum citari ex Concilio Meldensi cap. VIII. cum tamen non sit Concilij Meldensis canon, sed ex libro primo Capitalarium. Error hinc ortus quòd Regino lib. 1. cap. 28. citat canonem 63. Meldensem, deinde adfert absque inscriptione constitutionem de Ecclesiis antiquitus constitutis, tum caput istud, cui hæc verba superscripsit: *Cap. LXV.* Hinc Burchardus lib. 3. cap. 10. collegit caput istud sumptum esse ex canone LXV. Concilij Meldensis. Sic enim legendum haud dubiè apud Burchardum, non verò XLV. ut perperam editum est. Scio ita haberi in codice Burchardi Talonico. Sed nihilo minùs existimo ita rescribendum esse.

Hoc caput apud Burchardum lib. 3. cap. 62. citatur simpliciter ex epistola Vigilij Papæ. In antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus scriptum est: *Item Iulius Papa.* In editionibus Democharis & Contij: *Item Iulianus Papa.* Sed in margine ista adnotata sunt: *Vigilius Pa. ad Eutherium.* Ex quo Correctores Romani effecerunt inscriptionem istius capituli hoc modo: *Item Vigilij Papa ad Eutherium epist. 1. c. 4.* Re vera est Vigilij, ut rectè observat Antonius Augustinus in dialogo decimoquarto libri prioris, verum non ex epistola ad Eutherium, sed ex ea quæ ad Profuturum Bracharensem Episcopum scripta est. Vide quæ suprà adnotata à nobis sunt 2. q. 6. c. 12. *Qui se scit.*

SANCTUARIA] id est, reliquias sanctorum, sacra pignora. Vide clarissimum virum Antonium Dadinum Alteserram in Notis ad epistolas sancti Gregorij lib. 1. epist. 48. pag. 53.

LIGNEI SACERDOTES] In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus ita legitur hic locus: *Quondam sacerdotes non aureis calicibus sed ligneis utebantur.* Zephrinus XVI. Romanus Episcopus patenis vitreis Missas celebrari constituit. Tunc

Di. 1. c. 18.
Ecclesiæ.

Di. 1. c. 24.
De fabrica.

Di. 1. c. 44.
Vasa.

deinde Urbanus XVIII. (in aliis, xvii.) Papat omnia misteria sacra fecit argentea. Fatendum tamen est in Concilio Triburiensi, unde sumptum est hoc caput, tum apud Burchardum lib. 3. cap. 223. & apud Ivonem parte 3. Decreti cap. 282. ita legi quomodo editum hodie est apud Gratianum. Refert autem hunc locum illustrissimus Cardinalis Baronius ad annum DCCLV. demum addens pulcherrimam hanc gravissimamque sententiam, de Bonifacio Episcopo Moguntino loquens: *Ita sanctus, cum sui temporis sacerdotum ignaviam deploraret. Ita etiam Petrus Damiani, vir sanctissimus, in opusculo 31. ad Episcopos Cardinales cap. 6. Nunquam certe vidisse me memini pontificales baculos tam continuo radiantis metalli nitore contactos sicut erant qui ab Esculano atque Tranenſi gestabantur Episcopis. Uterque tamen, alter in Apulis finibus, Nicolao presidente, alter in Lateranensi Ecclesia coram Alexandro, Romanis scilicet Pontificibus, sunt dejecti. Nec eis profuit quod Pontifices lignei auratis usi sunt baculis, dum sacerdotij meritum non nitor efficiat vestium, sed spiritualium norma virtutum, & non micantia margarita vel gemma sed mores aurei deceant sacerdotem.* Hinc vetus adagium sive carmen inter Francos, à Vido Coquillio relatum in historia Nivernensi.

*Au temps passé du siecle d'or,
Crosse de bois, Evêque d'or.
Maintenant changent les lois,
Crosse d'or, Evêque de bois.*

Di. 1. c. 45.
Vt calix.

Di. 1. c. 61.
Hoc quoque.

Regino lib. 1. cap. 67. citavit hoc caput ex Concilio Remensi. Vide illic Notas nostras.

Rectè adnotatum est ab eminentis doctrinæ dignitatisque viro Ioanne Cardinale Bona lib. 1. rer. liturgicar. cap. 13. caput istud falsò tribui Papæ Soteri aut Anacleto. Addit deinde vir doctissimus optimam ac verissimam observationem, nimirum Missas solitarias istorum Pontificum ævo non fuisse in Ecclesiæ usu, huncque abusum nonnisi post aliquot secula inter monachos irrepsisse. Vide Reginonem lib. 1. cap.

cap. 191. & Burchardum lib. 3. cap. 68.

Canon iste conditus fuit in Concilio Agathensi, cui præfuit sanctus Cæsarius Episcopus Arelatensis. Extat inter ejus homilias à nobis editas una, quæ octava est, valde pia, docta, & elegans, de hoc argumento, digna profectò quæ his nostris temporibus relegatur in conventu Christianorum.

VBI EPISCOPUS] In aliquot antiquis Gratiani exemplaribus legitur: *Et si ibi Episcopus non fuerit, benedictionem accipiat à sacerdote.* Antiqua collectio canonum Lugdunensis & Regino lib. 1. cap. 196. habent: *Et ubi Episcopus fuerit, benedictionem accipiat sacerdotis*, id est, Episcopi. Nam si Episcopus non adest, populus benedictionem ejus accipere non potest. Postea cùm sacerdotis vocabulum vulgò usurpatum est ad significandum Presbyterum, raro ad significandum Episcopum, putarunt qui postea secuti sunt negationem in hoc loco deesse, adeoque substituendam. Et tamen canon 26. Concilij primi Aurelianensis, unde sumptum est hoc caput, non habet negationem illam; quæ non extat etiam in Additione quarta Capitular. cap. 42. ubi descriptus est idem canon. Immo Concilium tertium Aurelianense cap. 29. apertè ostendit heic per sacerdotem intelligi Episcopum, adeoque tollendam esse negationem. Hæc sunt verba canonis: *De Missis nullus laicorum antè discedat quàm dominica dicatur oratio. Et si Episcopus præsens fuerit, ejus benedictio expectetur.* Refertur autem in eisdem omnino verbis iste canon lib. 7. Capitular. cap. 201. Primus ergo negationem adjecit Burchardus lib. 3. cap. 29. *Et si Episcopus defuerit &c.* Fatendum tamen est eam lectionem reperiri in antiqua collectione canonum edita in tomo undecimo Spicilegij Dachheriani, non quidem in codice nostro, ex quo edita est, sed in regio & Trecensi, ubi sic legitur lib. 2. cap. 95. *Et ubi Episcopus defuerit, benedictionem accipiant sacerdotis.* Verùm admonendum illud est, in codice Trecensi, quod multò antiquius est regio, scriptum primò fuisse fuerit, postea syllabam *de* additam fuisse supra lineam ante verbum fuerit. In antiquissimo codice Lugdunensi, ubi caput istud positum

N n

Di. 1. c. 64.
Missas.

Di. 1. c. 65.
Cùm ad celebr.

est in libro tertio, legitur simpliciter fuerit, ut in nostro. Vide Concilium Agathense can. 47.

Di. 1. c. 66.
Qui dic.

Adversus impiam illam perditissimorum hominum dementiam, quæ in hoc capite notatur, validè declamat Salvianus Presbyter Massiliensis in libro sexto de gubernatione. Vide Notas nostras pag. 402. secundæ editionis.

Di. 1. c. 71.
Invenimus.

Iam alij observaverunt hanc epistolam non posse esse Pelagij secundi. Quod confirmari potest ex eo quòd scripta dicitur ad Episcopos Germaniarum atque Galliarum. Nam hæc conjungendarum harum nationum ratio in usu non fuit nisi sub secunda Regum nostrorum stirpe, cum regiones illæ Francorum imperio parerent. Tum verò nihil vulgatius. Acta sancti Albani martyris edita ab Henrico Canisio in tomo quinto lectionis antiquæ pag. 660. aiunt Bonifacio concessum à Gregorio & Zacharia Romanis Pontificibus fuisse *per totam Galliam Germaniamque in omnibus Conciliis & ecclesiasticis conventibus apostolica vice fungi*. Præfatio Concilij apud Theodonis villam habiti anno DCCCXXI. apud Burchardum lib. 6. cap. 5. *cum nuntiis reliquorum Episcoporum Gallia & Germania*. Decretum Ludovici Pij eodem anno editum in conventu Triburiensi apud eundem Burchardum ibidem : *à primatibus totius Germania & Gallia*. Infrà : *penè omnes Gallia & Germania principes subscripserunt*. Gregorius IV. epistolam de Aldrico Episcopo Cenomanensi scripsit ad Episcopos per Galliam & Germaniam constitutos. Idem in epistola ad Episcopos regni Francorum apud Agobardum to. 2. pag. 59. *Hæc idcirco dicimus ut noveritis non vos posse dividere Ecclesiam Gallicanam & Germanicam ab unitate tunica qua subjacet capicio*. Acta sancti Friderici Episcopi Trajectensis apud Surium die XVIII. Julij : *Porro Germania & Gallia Episcopi comperta cade immerita beati Friderici &c. Vvalafridus Strabo cap. 28. de rebus ecclesiasticis : Tri-duana autem Litania, qua proximis diebus ante Ascensionem Domini annuè per omnes Galliarum vel Germania Ecclesias celebrantur, in Galliis sunt constituta*. Nicolaus primus in epistola LXIV. ad Theut-

bergam Reginam in tomo tertio Conciliorum Gallia pag. 321. *omnes religiosi & clari Galliarum & Germania viri.* Idem in epistola LXVII. ad Lotharium ibidem pag. 327. *Siquidem eam ad relationem omnium penè qui ex Gallicanis & Germanicis regionibus Romanam orationis gratia veniunt &c.* Flodoardus lib. 3. hist. Rem. cap. 21. in commemoratione epistolarum ab Hincmaro Archiepiscopo scriptarum: *Respondit etiam ad capitula quadam regni Francorum Episcopis à Iohanne Papa transmissa de privilegiis sedium per capitula VII. quoniam idem Papa nisus fuerat Ansegisum Sennensem Episcopum Primatem constituere, ut apostolica vice per Gallias & Germanias frueretur.* Sumptum illud ex epistola Ioannis VIII. ad Episcopos per Gallias & Germanias constitutos, quibus scribit se Ansegiso Sennensis Ecclesie Prasuli concessisse ut vice sua in ecclesiasticis negotiis exercendis frueretur per Gallias & Germanias. Responsio itaque Hincmari, cuius meminit Flodoardus, est epistola ipsius sexta in editione Busæi, XLIV. in editione Sirmondi. In capite autem XX. conjunguntur etiam, alia occasione, Germanicæ & Gallicanæ nationes: *In Germanicis & Belgicis ac Gallicanis provinciis omnis religio Christianitatis penè fuit abolita.* Belgicam provinciam miscuit Hincmarus in gratiam suæ provincie, quæ una erat ex Belgicis. Ante tempora igitur Bonifacij Moguntini Galliarum & Germaniarum Episcopi non solent conjungi. Vnde certò colligitur epistolam illam Pelagij confictam esse ævo Karolino. Videndus autem eminentissimus Cardinalis Ioannes Bona lib. 2. rer. liturgicar. cap. 10.

Regino lib. 1. cap. 194. citat simpliciter *ex definitione ecclesiasticorum dogmatum*, absque nomine auctoris. Hec apud Gratianum tribuitur Augustino, alibi Gennadio Massiliensi. Vide Notas Geverharti Elmenhorstij ad caput 53. editionis ejusdem libri ab eo procuratæ sub nomine Gennadij. Vide etiam epistolam quadragesimam Hincmari Remensis Archiepiscopi.

Di. 2. c. 13.
Quotidie.

Di. 2. c. 21.
Omnis.

Constitutio ista non extat inter vulgatos canones Synodi Eliberitanæ, videturque esse ex veteri Pœn-
N n ij

tentiali aut ex canone quodam Concilij Hibernensis, quòd sæpe canones Hibernici laudentur in veteribus libris tanquam ex Concilio Elibertano. Regino, qui lib. 1. cap. 331. primam partem istius capituli habet, retulit absque nomine auctoris. Burchardus lib. 5. cap. 22. ex Concilio Elibertano cap. 3. Idem lib. 19. cap. 155. refert decretum quoddam de eadem materia ex Concilio Elibertano, quod Regino lib. 1. cap. 328. tribuit Concilio Helibernensi, in veteribus verò libris, ut adnotavimus nuper ad hunc locum Reginonis, dicitur esse Concilij Hibernensis.

Di. 2. c. 28.
Si per ebrietatem.

Caput istud in veteribus Gratiani libris citatur ex Pœnitentiæ Bedæ Presbyteri. Extat autem in capite duodecimo libri de remediis peccatorum, qui vulgò Bedæ tribuitur. Regino lib. 1. cap. 149. non adfert nomen auctoris ex quo ipse descripsit. Burchardus lib. 5. cap. 46. refert ex Pœnitentiæ Bedæ.

Di. 2. c. 29.
Pervenit.

Heic & apud Reginonem lib. 1. cap. 120. & apud Burchardum lib. 5. cap. 30. citatur ex Concilio Remensi. Vide Notas ad Reginonem pag. 554.

Di. 2. c. 30.
Sacerdotum.

AD DEFER. INFIRMIS] Vide rursus Notas ad Reginonem pag. 537.

Di. 2. c. 30.
Sacerdotum.

Vide eruditissimum virum Franciscum de Rove Antecessorem Andegavensem in tractatu de juribus honorificis in Ecclesia cap. 3. pag. 10.

Di. 2. c. 31.
Institutio.

Sumptum est istud ex Concilio Gerundensi, ut inscriptio indicat. Notandum autem est discrimen quod Romani Correctores admonent esse in editionibus hujus capituli. Nam apud Gratianum legitur *in omnibus provinciis*, & apud Burchardum & Ivonem *in omnibus comprovincialibus Ecclesiis*. quod melius est. Nam in Concilio ipso legitur *in Tarraconensi provincia*. Synodi enim provincialis auctoritas non egreditur extra provinciam. In antiqua collectione canonum Lugdunensi legitur: *ita in Dei nomine Tarraconensis provincia tam ipsius Missæ ordo &c.*

Di. 2. c. 93.
Presbyter.

Regino lib. 1. cap. 69. caput istud citat ex Capitulis synodalibus, id est, ex libro primo Capitularium. Duplex quippe Capitularum regionum genus erat. Alia enim erant regia simpliciter, id est, in consilio Principis inventa & statuta. Alia verò erant synodalia,

regia sanè, sed in synodis facta, & ut plurimum de rebus ecclesiasticis. Vide Notas ad Reginonem pag. 542.

INFIRMATUS] Rectè admonent Correctores Romani post ista addi apud Burchardum & Ivonem & in Capitularibus aut parvulus infirmus fuerit. Vide Notas ad Reginonem pag. 551.

ASSUMPTIO S. MARIÆ] De hac festivitate nihil decreverat Karolus Magnus cum festivitates enumeraret quæ per omnia venerari debent in anno. Cum enim ceteras nominasset lib. 1. Capitular. cap. 164. demum addit: *De adsumptione sanctæ Mariæ interrogandum relinquimus.* Deinde ista quoque festivitas addita est aliis, ut patet ex lib. 2. Capitular. cap. 15. & lib. 6. cap. 186. Ex Capitularibus descripsit etiam Regino lib. 1. cap. 377. Magnum inter Canonicos Ecclesiæ Parisiensis his diebus certamen fuit de hoc festo, propter verba Vsuardi, qui dormitionem sanctæ Dei genitricis Mariæ simpliciter vocat, ab assumptionis nomine abstinere. Meum non est componere hanc litem. Adferam tantum insignem locum ex vetustissimo libro homiliarum Ecclesiæ Lugdunensis, cujus auctor ignoratur. Videtur autem tribui debere Paulo Diacono aut Smaragdo. In codice itaque illo, post recitatam in festo assumptionis sanctæ Mariæ homiliam in illud ex evangelio secundum Lucam, *intravit Iesus in quoddam castellum*, auctor homiliæ ista addit in fine: *Succinctè evangelica lectione tractata, dicendum breviter quid hac eadem lectione ad beatam Dei genitricem conveniat. Cum enim tota ex duabus sororibus Deo devotissimis constet, tamen in fine sui non incelebrem immo precipuam de beata Dei genitrice sententiam continet, ubi dicitur: Maria optimam partem elegit. Cum enim sancta Ecclesia tribus fidelium gradibus constet, conjugatorum scilicet, continentium, & virginum, beata profectò Dei genitrix, cujus hodie sollempnia celebramus, optimam partem elegit, cui datum est & de intemerata virginitate & de prole gaudere fecunditate, qua simul & virgo materque esse promeruit. Dicamus ergo, immo incunctanter dicamus quia Maria optimam partem elegit.* Ferunt

Di. 3. c. 1.
Pronuntian-
dum.

enim quidam codices quòd hodierna die à filio suo Domino Iesu Christo in caelestibus fuerit provec̃ta palatiis. Quod quia à beato Hieronymo in epistola quam ad Paulam scripsit apocryphum a se veratur, minùs fidenter à catholico sensu recipitur. Sit ergo illud necne, nos tamen debemus credere eam filio suo in caelestibus conregnare. Iam ergo ad eam vota nostra precèsque convertamus. Rogemus eam ut pro nobis apud pietatem filij sui intervenire dignetur. Flodoardus lib. 3. historiae Remensis cap. 5. enumerans res praec̃larè gestas ab Hincmaro Remensi Archiepiscopo, hæc ait inter cetera: Libellum quoquo de ortu sanctæ Dei genitricis Mariae, sed & sermonem beati Hieronymi de ipsius Domina Assumptione scribi fecit.

Di. 3. c. 20.
Aquam.

Di. 4. c. 23.
Romanus.

Di. 4. c. 44.
Ab antiqua.

Remedius Curienfis cap. 24. & Regino lib. 1. cap. 210. citant etiam ex epistola Alexandri Papæ.

Caput istud est pars capituli *Si quis per ignorantiam*. I. q. 1. c. 59. ubi vide quæ dicta illic à nobis sunt.

Inscriptio istius capituli hæc est in antiquis Gratiani exemplaribus & in editione Veneta: *Gregorius Quirico Episcopo & ceteris in Hibernia Episcopis*. nisi quòd codex regius *Quirino* habet pro *Quirico*. Editio prima Moguntina non legit *Hibernia*, sed *Iberia*. & quidem rectiùs. Nam ita prorsùs scriptum est in antiquissimo epistolarum sancti Gregorij libro manuscripto in bibliotheca regia: *Gregorius Quirio Episcopo & ceteris Episcopis in Iberia*. Vide Antonium Augustinum pag. 41. & Marcam in Notis ad Concilium Claromontanum pag. 327. editionis nostræ. Falluntur autem, ut ego arbitror, qui istius epistolæ mentionem fieri putant à Paulo Diacono in libro tertio de gestis Longobardor. cap. 10. Agitur enim illic de epistola Pelagij.

Di. 4. c. 94.
Plerique.

SISEMUNDI] In antiquis Gratiani exemplaribus regio, Sangermanensi, recentiore Victorino, & duabus editionibus Moguntina & Veneta, scriptum est *Sisemandum*, in Colbertino *Semandum*, in Victorino vetere *Sisemundum*. Legendum est *Sisemandum*, ut rectè monet Antonius Augustinus pag.

Di. 4. c. 104.
Monachi.

49. & 54. Vide Antonium Augustinum pag. 332. & ibi No-

tas nostras. Vide etiam quæ in hoc loco observantur à Correctoribus Romanis.

PUERIS AUTEM] Cujacius ad titulum Decretalium de dispensatione impuberum cap. 3. admonet hunc locum, qui valde depravatus est apud Gratianum, ita legi debere: *Pueris autem, quibus, quòd adhuc investes sint, à puritate vocabulum est.* Apud Burchardum sanè lib. 4. cap. 99. legitur: *Pueris autem, quibus, quòd adhuc investes sunt, à puritate vocabulum est.* At in codice Talonij paulò aliter legitur, sed tamen eodem sensu: *Pueris autem, quibus, qui adhuc investes sunt, à puritate vocati sunt.* Vide illustrissimum virum Franciscum Bosquetum Episcopum Monspeliensem in Notis ad epistolas Innocentij III. pag. 151.

IMPUBERES] Ita recentior codex Victorinus & antiquæ editiones Moguntina & Veneta. Ceteri habent *imberbes*.

Sumptum est hoc caput ex canone 36. Concilij quarti Carthaginensis. Burchardus tamen lib. 4. cap. 76. citat ex Concilio apud Valentias, pessimo more. Vide Notas ad Reginonem pag. 553.

Titulus hujus capituli in antiquis Gratiani libris & editionibus præfert heic nomen Anselmi Romanæ Ecclesiæ Legati, nisi quòd in codice regio vocatur Aricelinus. Reponendum haud dubiè est Aselli nomen, qui per ea tempora Legatus Romanæ Ecclesiæ fuit in Africa. Vide Antonium Augustinum pag. 15.

Caput istud sic inscriptum est in veteribus Gratiani libris: *In libro quinto Capitularium.* Sumptum est autem ex canone nono Concilij Moguntiaci sub Karolo Magno, unde descriptum est in libro quinto Capitularium cap. 115. Canonorum Clericorum mentio etiam in canone undecimo Concilij tertij Aurelianensis.

Sumptum est hoc caput ex Capitulis Hincmari Remensis Archiepiscopi tit. 1. cap. 14. Vide Reginonem lib. 1. cap. 213.

TURPIA IOCA] Cicero lib. 14. epist. 14. ad Atticum: *Ioca tua plena facetiarum de hæresi Vestonina & de Phario nummo re Putzolano risisse me satis*
N n iiij

Di. 4. c. 113;
Eos quos.

Di. 4. c. 123;
Presbyteri.

Di. 4. c. 152;
Flacuit.

Di. 5. c. 34;
In omnibus.

Di. 5. c. 35.
Nullus.

nihil est necesse rescribere. Quo loco vide Notas clarissimi & eruditissimi conterranei mei Simeonis Bosij. Ælius Spartianus in vita Adriani: *Ioca ejus plurima extant.* Iulius Capitolinus in vita Antonij Pij: *Omuli multa joca semper patienter accepit.* Vide Notas ad Reginonem pag. 537.

CUM URSO] Vide Notas ad Reginonem pag. 564.

LARVAS DÆMONUM] In Capitulis Hincmari, unde sumptum fuisse diximus hoc caput, & apud Reginonem, tum etiam apud Burchardum lib. 2. cap. 161. post hæc verba sequitur, *quas vulgò talamascas dicunt.* Vide Notas ad Reginonem pag. 564.

Gratianus hoc caput citat ex Concilio Laudicensi, ubi extat. Regino autem lib. 1. cap. 57. & Burchardus lib. 2. cap. 135. ex decretis Martini Papæ, id est, Martini Bracharensis, apud quem inventum etiam est. Vide Cujacium ad titulum Decretalium de vita & honestate Clericorum cap. 12.

Di. 5. c. 37.
Non oportet.

ADDENDA IN NOTIS.

Pag. 486. *linea ult. post illa verba, Agileo Mettis, adde.* Mennam porrò Thelonæ Episcopum fuisse vel hæc res manifestè probat quòd in causa monasterij Lirinensis apud eundem sanctum Gregorium lib. 9. Indict. 4. epist. 8. ejus testimonium refertur, tanquam è propinquo. Scribens enim Pontifex ad Cononem Abbatem Lirinensem ait: *Quàm autem solers sis in regendis fratribus, quantoque studio in eorum sis custodia vigilans, reverentissimo fratre & coepiscopo nostro Menna referente cognovimus. Quid porrò monasterium Lirinense ad Episcopum Tololanum, tam procul ab domo? Antè quàm & c.*

Pag. 496. *lin. 25. post verbum audire adde.*

In antiquis Gratiani exemplaribus ea est inscriptio istius capituli: *Hoc idem probatur auctoritate beati Gregorij, qui Ariminensi Episcopo dolore capitis laboranti alterum subrogavit ita scribens in registro capitulo CCXXXVII.* Editiones Democharis & Con-

7. 9. 1. c. 13.
Qualiter.

tij habent *cap. cccxxxviii*. Correctores Romani pro ultimis Gratiani verbis ista substituerunt: *ita scribens in 7. lib. registri sui, indi. 2. epist. 49. ad Marinianum Episcopum Ravenna*. Verùm retinenda erat veterum codicum & editionum lectio, ut deprehendere possent eruditi lectores an ista Gratianus accepisset ex fontibus ipsis, an verò ex rivulis & stagnis aliorum. Nam si quis editione Romana Gratiani sola utatur, nunquam animadvertet caput istud descriptum esse ex Burchardo, apud quem extat *lib. 1. cap. 189. ex registro S. Gregorij Papa cap. cccxxxviii*. ut heic apud Gratianum in antiquis codicibus & editionibus. Ivo parte 5. Decreti *cap. 305. habet: Ex registro Gregorij cap. cccxxxix*. Accepit ergo & Ivo ex Burchardo.

Idem flagitium ab eisdem commissum est in titulo istius capituli, qui sic habet in vetustis Gratiani codicibus: *Item ex eodem capitulo cccxxxiii. ad Eleutherium Episcopum*. pro quo Contius & Demochares ediderunt *ccxliiii*. Correctores Romani: *Item ex eodem registro, lib. 11. epist. 7. ad Eutherium Episcopum*. Sed Burchardus, ex quo Gratianus descripsit, *lib. 1. cap. 191. habet: Ex regist. cap. cccxxxiii. ad Eutherium Episcopum*. In codice verò Talonij: *E reg. Atherium Episcopum cap. cccxxxiii*. At Ivo parte 5. Decreti *cap. 307. scriptum habet in titulo istius capituli: Ex registro Gregorij ad Eleuterium Episcopum*.

7. q. 1. c. 14.
Quamvis.

Pag. 511. lin. 19. post vocem manuscriptis adde. Hujus porrò pars habetur in *cap. Relatum De sepulturis*; ubi malè inscribitur Episcopis per Dardaniam constitutis, cùm scripta sit ad Episcopos per Italiam.

Pag. 513. lin. 5. post illa verba, infra ostendimus, adde. Hunc scrupulum nobis exemit Burchardus, qui in *lib. 1. cap. 227. canonem istum refert ex Concilio apud Altheum cap. 37*. Nam *Alphesum* scriptum quoque alicubi esse pro *Altheum* monemus infra *31. q. 1. c. 3*. Facile autem est mutare *Alphesum* in *Ephesum*.

A D M O N I T I O .

Post absolutam hanc editionem, vir doctissimus Ioannes Mallonius monachus Benedictinus, à Belgica peregrinatione redux magno reipublicæ literariæ bono, ad me detulit vidisse se duo vetustissima Pannormiæ exemplaria manuscripta, unum in bibliotheca monasterij Aquicinctensis, alterum in monasterio Blandiniensi, utrumque nomen Ivonis Episcopi Carnotensis adscriptum habens, utrumque eundem finem operis exhibens quem notavimus in præfatione nostra cùm de Pannormiâ ageremus. Vnde certò colligitur non extare in codicibus illis decreta Innocentij secundi quæ edita sunt in calce Pannormiæ, quæ moverant viros eruditissimos ut existimarent opus illud non posse esse Ivonis. Hoc te monitum volui, lector erudite, ut tibi semper probem bonam fidem meam.

